CAECILII BALBI

DE NUGIS PHILOSOPHORUM

QUAE SUPERSUNT.

E CODICIBUS ET AUCTORIBUS VETUSTIS ERUIT, NUNC PRIMUM EDIDIT, COMMENTARIO ET DISSERTATIONE ILLUSTRAVIT

EDUARDUS WOELFFLIN.

BASILIAE MDCCCLV.

IMPENSIS LIBRARIAE SCHWEIGHAUSERIANAE.

(SCHWEIGHAUSER'SCHE SORTIMENTSBUCHHANDLUNG.)

CAROLO LUDOVICO ROTHIO

PROFESSORI BASILIENSI

AMORIS CAUSA.

Praefatio.

Postquam Ethici Histri cosmographia, Trogi Pompeii fragmenta historica et Ciceroniana illa de fato anno superiore edita primum quidem omnium oculos ad se converterunt, mox vero, cum restinctis animorum incendiis a peritis ad obrussam exigerentur, aut subditicia aut medii aevi foetus iudicata sunt, verendum est omnibus, quicumque se primos novum quendam antiquitatis scriptorem in lucem proferre profiteantur, ne aut librorum subiectores dicantur, aut erroris incusentur. Illa culpa cum me vacuum sciam, iis gratias agam quantas maximas animus meus capere potest, qui apertis Caecilianorum fragmentorum originibus errore me levabunt, vel, ubi illa genuina esse et ad antiquitatem referenda sibi persuaserint, dissertationis meae singula persequentur atque benevola admonitione emendabunt. Neque enim is sum, qui meliora docenti obtemperasse turpe iudicem, aut hanc meam editionem omnibus numeris absolutam esse putem; sed cum, quam semel operam aggressus eram, ea longiorem cunctationem iam non reciperet eosque diutius detinere nefas ducerem, qui ad eam perficiendam admonitores et suasores mihi erant, conscripsi hoc, qualecumque est, opusculum, ratus eam quaestionem, si ipse sustinere non possem, haud indignam tamen visum iri, quae in examen doctorum hominum vocetur.

Caecilium igitur Balbum quod diu intermortuum contigit in dias luminis auras retrahere, id non dubito quin veteris ac latinae philosophiae studiosi cum aliqua gratulatione meae sint fortunae acceptum relaturi. Et ne ipse quidem, cum confectum hoc iter oculis quasi perlustro, arduum sane ac spinosum, temperare mihi non possum, quin aliquam animi

laetitiam et persentiscam et prodam. Nam neque integrum mihi aut venerandae vetustatis codicem casus obtulit, quem unum tuto sequerer describens, sed laceris quibusdam corruptissimisque frustulis utendum fuit, neque quis potissimum eius disiecti libri esset vel scriptor vel titulus, initio apparebat. Longum est enarrare, ut conquirens Monachii et Parisiis Polyaeno et Ampelio subsidia critica delatus sim ad has de nugis philosophorum libri reliquias, longius etiam singillatim enumerare, quibus fortunae favoribus quibusque doctorum hominum consiliis vel expetitis vel ultro oblatis adiutus (quorum numquam apud animum meum memoria refrigescet et gratia) eo tandem pervenerim, ut incertis hisce vagisque scriptionis reliquiis certum denique praefigerem scriptoris nomen Caecilii Balbi.

Verum non propriae laudis studio, a quo studio me sentio esse alienum, haec exsequor, sed eo consilio, ut et amicos meos, qui nimiam fortasse spem de hoc invento meo conceperunt, et reliquos iudices rerum peritos, difficultatibus rei breviter commemoratis admoneam, quam tenui exspectatione quamque clementi iudicio opus sit, cum meam operam invento scriptori navatam meumque, qualecumque erit, meritum sunt examinaturi. Desiderabunt fortasse Caecilium Balbum, editum non ut feci particulatim, sed quoad licuit, concinnatum et restitutum ad pristinum quattuor libellorum ordinem. Potui haec ita facere, et faciam fortasse ipse aliquando hoc pacto. Verum in hac principe editione res mihi ita instituenda videbatur, ut omnia simpliciter exponerem, omnis causae, omnium rationum et argumentorum lectores mecum conscios et testes quasi oculares facerem, eorumque iudicium informare quam assensum captare mallem. Ita factum est, ut nonnumquam paulo copiosior et diffusior fierem, et ne repetitionibus quidem aut retractationibus abstinerem, denique meae causae diligentius prospexisse quam legentium commodis inservisse viderer.

Hanc igitur opusculi formam imperfectam aequi bonique consulant prudentes lectores.

Scripsi Basiliae die altero festi paschalis MDCCCLV.

ED. WOELFFLIN.

I.

Sunt inter philologos, qui de tot veterum scriptorum iactura naufragioque, neque id immerito, magnopere conquerantur; alii contra sibi eam congratulari videntur: quorum illos videas in eo desudantes, ut qua ratione antiquitatis reliquiae in lucem protrahi possint, diligenter inquirant*); hi ne exoptant quidem, uti res illis prospere cedat, vel certe illorum laboribus spretis nonnisi caeco casui confidunt. Mihi vero, cum in Monachii Parisiorumque bibliothecis versarer, multa in codicibus manu scriptis adhuc latere videbantur, digna quae investigarentur atque ederentur, eosque felices praedicabam, quibus in tanta librorum copia perscrutanda quasi heluari liceret. Et quo magis de nobilissimorum scriptorum libris in medium protrahendis desperabam, eo magis ad eos auctores, quos argenteae et aeneae aetati vulgo attribuunt, latitantes adhuc in bibliothecarum recessibus obrutosque oblivione aditum aperiri, et si minus integra opera, at tamen excerpta et fragmenta erui posse mihi persuadebam. Igitur animus in dies magis incendebatur describebamque sedulo, quamvis temporis angustiis admodum pressus, multa inedita et in meos amicorumque usus varios variorum auctorum codices excutiebam. Illa ut, ex parte saltem, nunc iam ederem, impulit me animi quidam impetus, primusque scriptorem quendam Romanum aggredi mecum constitui, quem sub Traiano imperatore vixisse admodum credibile est.

Quodsi vero unquam iuveniles curae indulgentia criticorum indigent, tum mihi vixdum ab academicis studiis in patriam reverso huius scriptoris edendi veniam dari velim, non quod argumenti tenuitatem incusem, unde nescio an aliquis certe fructus redundaturus sit in antiquitatis studia, sed ob id potissimum, quod laboribus susceptis me vix parem, multaque praetermissa esse sentiam, quae ad inceptum felicius perpetrandum valeant, multaque errata fortasse, quae alii melius administraturi erant. Nam non solum ipsius scripto-

*) Cfr. ex. gr. Malven, ueber die Quellen einer moeglichen Wiederauffindung der verlorenen Schriften etc. Wien 1838.

ris verba librariorum negligentia vel imperitia multis locis corrupta ad pristinam sinceritatem revocanda commentariisque illustranda erant, sed etiam disserendum erat de descriptione consilioque operis, de fontibus atque aetate scriptoris similibusque, quae huc facerent. Cuius scriptoris fragmenta cum in compluribus codicibus reperirem, et ita quidem comparata, ut alia aliorum ope emendari, augeri, locupletari possent, haud minima pars erat operis mei, ea ita inter se contexere atque disponere, ut ad pristinum ordinem quam proxime accederent. Malui tamen, nunc saltem, ea integra atque incorrupta exhibere, prout mihi ipsi codices librosque veteres impressos perscrutanti obvia fuerunt, ne mihi, quod totam rem perturbaverim lectorumque iudicio caliginem offuderim vitio vertant. Nec erit profecto, cur aliquis in editione principe meliorem fragmentorum dispositionem suo iure desideret, de qua quid ego sentiam, sub finem opusculi mei breviter elocutus sum. Cum altera huius scriptoris editione opus erit, illa melius disponenda curabo, et auctiora fortasse prodibunt, dummodo aut alii ea, quam ego ingressus sum, via procedant, aut ipse iterum Parisios profectus eadem, qua adhuc, fruar fortunae benevolentia.

Auctorem igitur, quem oblitteratum ab oblivionis iniuria asserturi sumus, Caecilium Balbum esse accipe. Cuius quidem nomen et opus, quamvis in silentio iacerent, non prorsus tamen oblivione exstincta erant, si quidem inter medii aevi scriptores unus, quoad sciam, Joannes Saresberiensis, eum in Policratico citavit locumque ex eius praefatione petitum laudavit. Idem praefationis locus et in Vincentii Bellovacensis speculo morali legitur, Caecilii quidem nomine non addito, sed praemissis verbis: »Unus orator quidam imperatori loquens dicebat etc.» unde Vincentio Bellovacensi Caecilii nomen aut plane ignotum fuisse apparet, aut certe, si ipsum Joannem Saresberiensem ante oculos habuit, quod ad fidem propius est, tam peregrinum sonuisse, ut cum ipse de eius vita et aetate nihil compertum haberet, lectori nomen reticere satius duceret. Sed hoc est ipsum, quo, ut multi fortasse antiquitatis libri in oblivionem adducti sint, effectum est. Qui cum antiquis iam temporibus saepius in epitomen cogerentur, id quod et Caecilio nostro accidit, quid iam reliquum erat ad omnem eorum memoriam exstinguendam, nisi ut nomen auctoris rescisso forsitan primo folio oblitteraretur? Cuinam mirum reliquias oblivione interceptas iam inde ab eo tempore aut plane neglectas iacuisse, aut rarissime tantum descriptas, iterum excerptas aliisque intermixtas diligentissime demum indagando atque investigando in lucem protrahi potuisse?

Jam ut redeat oratio, unde paululum deflexit, Policratici locum, de quo modo dixi, adscribam simulque discrepantiam Vincentii Bellovacensis subiungam.

1. FRAGMENTUM EX PRAEFATIONE CAECILII BALBI.

J. Sar. Pol. III. 14. *Adulatores puniendos esse, tamquam hostes Deorum et hominum, et veritatem gratanter amplectendam, et patientiam custodiendam, tam rationibus quam exemplis maiorum.*

(1) Sed, ut vulgari proverbio dicitur, Deus ille prae ceteris colendus creditur, qui subvenit in praesenti. Ideoque non curant quomodo, dum tamen hoc quod expetunt faciant. Egregie quidem Caecilius Balbus, Imperator, inquit, Auguste, tum in multis, tum in eo maxime elucet prudentia tua, quod isti nondum te omnino insanum reddiderunt, qui ut tibi applaudant, non modo Diis, sed tibi ipsi et populo iniuriam faciunt. Deorum siquidem minuunt reverentiam, quo parificant tibi. Te arguunt insipientiae, dum conditionis tuae repugnante natura, te parem numinibus esse persuadere praesumunt. Nota superstitionis inurunt populum, cui mortales Deos pro immortalibus persuadent esse colendos. (2) Sane in eo aliquid divinum tibi inesse monstrabis, si omnes istos, qui divinitati tuae fraudulenter applaudunt, rapi feceris ad tormenta. Quis enim Deorum ei parcat, a quo se deceptum iri intelligit? Quis non irruat in eum, qui aureos Jovis oculos eruit, aut argento gemmisque sublatis Vestam nititur excaecare? Quis de Martis capite adamantinum lumen impune temerariis effodit unguibus? (3) Nempe Deos invisibiles et immortales circumvenire, et eis fallaciae parare insidias, gravioris culpae est, eo quod ab his visibilium Deorum fabrica sustentatur et regitur, et honorem aut contemptum qui istis exhibetur, illi remunerant. Si sapis ergo, Auguste, in Deorum hostes insurges, et te, si non Deum, quod nequaquam es, vel Deorum te docebis esse cultorem, si deceptores istos exterminaveris, excaecatores tuos, Deorum contemptores, et utrorumque iniuriam punias. Haec Caecilius.

Excipiunt hoc praefationis fragmentum philosophorum veterum imperatorumque facete dicta fabellaeque lepidae — graeco vocabulo ἀποφθέγματα dixeris — hoc vinculo inter se coniuncta, ut maledictis lacessitos unam patientiam decere comprobetur. Quae ut et ipsa ex Caecilio Balbo fluxisse demonstraret, vel potius magna cum veri specie coniiceret, primo

---

Vinc. Bellov. spec. mor. lib. III. part. 3 distrib. 11 (de ironia): Propter hoc antiqui sapientes cavebant sollicite, ne adulatores regibus loquerentur. Unus orator quidam (J. Sar. quidem) imperatori loquens dicebat: Imperator Auguste etc. || 3 *tum in multis*] V. B. *cum in multis.* Cfr. Policr. lib. I. prol. Jucundissimus cum in multis, tum in eo maxime est litterarum fructus, quod etc. || 4 *in eo*] V. B. *in hoc* || *nondum te omnino insanum*] Satis incaute et insolentius dictum; neque elegantius est, quod infra § 3 scribit, *si sapis ergo.* || 5 *ut tibi applaudant*] V. B. *cum applaudunt* || 6 *quo*] V. B. *quos* || 7 *numinibus*] V. B. *diis* || 8 *inurunt*] editt. quaedam in margine *nutriunt;* V. B. *seducunt* || 10 *rapi feceris*] *Faciendi* vocabulum Caecilius Balbus alibi quoque pro *iubendi* usurpat. Vide quae de eius dictione in extrema huius dissertationis parte disputabimus. || 11 *intelligit*] V. B. *intelligat* || 12 *Vestam*] V. B. *eum* || *quis .... unguibus*] om. V. B. || 14 *visibilium*] i. e. imperatorum Romanorum qui sibi divinos honores offerri patiuntur. || 15 *sustentatur* etc.] *sustentatur et honorem qui istis exhibetur, ipsi remunerant* V. B. || 16 *et te .... te docebis*] *et te deorum docebis* V. B. || 18 *utrorumque* etc.] V. B. *iniuriam punias utrorumque.* Sequitur locus quidam Guiardi Cancellarii Parisiensis.

contigit V. Cl. Christ. Petersenio: is enim unam ex illis historiolis, quae est de Alexandro Magno et pirata capto, Caecilii Balbi nomine inscriptam totidemque fere verbis expressam in membrana quadam bibliothecae Hamburgensis deprehendit deque coniectura publice in conventu philologorum Cassellis habito verba fecit*). Accedebat, quod Peterseuius familiaritate quasi cum Joa. Saresberiensis libris contracta peculiarem eius scriptoris indolem omnesque eius recessus penitus cognitos haberet, neque hanc haud dubie eius consuetudinem ignoraret, qua saepius ex auctore quodam integra capita nomine sive suppresso sive semel tantum laudato describere vel excerpere solet. Sic exempli gratia Policratici libri VI caput 11 magnam partem ex Frontini strat. lib. IV. cap. 1. § 1, 2, 6, 7, 9, 14, cap. 5. § 20, 18, 19, 21, 22 consarcinatum est, quamvis Frontini nomine bis tantum commemorato. Pariter Policr. lib. I. cap. 7 J. Sar. compilavit Suetonium (vit. Aug. 68: Ner. 20, 23, 25, 32 fin. 30 med.) insertis duobus Juvenalis versibus (8,199 et 7,90); quorum neutrius tamen nomen per totum caput usquam laudatum invenies. Denique ad id attendendum, quod Caeciliani operis titulus, quem nobis eadem suppeditat membrana Hamburgensis, de nugis philosophorum, cum illis narratiunculis, lepidis sane et facetis, optime congruat. Quae cum ita sint, vix quemquam esse arbitror, qui in tanta J. Saresberiensis fide historica Petersenii coniecturam impugnare audeat: nam hoc profecto largimur omnes, J. Saresberiensem, a falsarii fraudibus alienissimum, quae nova insunt in illo capite neque aliis veterum scriptorum testimoniis comprobata, ex aliquo antiquitatis auctore hausisse, unumque tantum secutum esse inde coniicias, quod ea apophthegmata non solum argumento ipso inter se quam maxime cohaerent, sed etiam secundum temporis rationem, si a paucissimis discesseris, disposita sunt. Illum vero auctorem ecquem alium fuisse credamus, ac Caecilium Balbum, quippe qui Joanni neque Varronis opera ad manus fuisse probe sciamus, neque Ciceronis de re publica libros, neque quae cetera antiquitatis monumenta etiam tum exstitisse, unde tantae ruinae solatium petant, homines creduli interdum somniant**). Varronem quod attinet, provocare possum ad virum in huius scriptoris fragmentis colligendis atque illustrandis bene versatum, C. L. Rothium dico, qui per totum Policraticum ne unum quidem fragmentum occurrere mihi confirmavit, quod non apud alios quoque legeretur auctores.

*) Ceterum monendum est, in actis philol. (Verhandlungen der Philologen und Schulmaenner. Cassel 1844) pag. 109 typothetarum errore editum esse *Pergamentblatt der Harburger Stadtbibliothek* pro *Hamburger*. — Praeter hoc folium membranaceum alterum quoque nostro geminum itemque rescissum a corpore suo in bibliotheca Hamburgensi exstare per litteras me certiorem fecit Petersenius, qui idem ea particulas lexici cuiusdam habenda esse censet.

**) Cfr. Bernhardy, roemische Lit.-Gesch. pag. 321 sub fin. Obschon Joh. von Salisbury vieles citiert, so kennt er doch aus unmittelbarer Lesung kaum einen verlorenen Autor. Longe aliter hac de re iudicat Julius Schmidt in libro, cui titulus est: Joannes Parvus, Sarisberiensis, quomodo inter aequales antiquarum literarum studio excelluerit, inquiritur. Vratisl. 1839. Cfr. pag. 71 et 77.

Neque tamen in eo substitit Petersenius, ut apophthegmata illa ex Caecilio descripta esse moneret, sed scite sagaciterque alterum titulum, qui Policratico praefigi solet, **de nugis Curialium et vestigiis philosophorum** expressum esse addidit ad similitudinem et Caecilii Balbi et Flaviani, quem librum quendam **de vestigiis philosophorum** conscripsisse ipse auctor est J. Saresb. Pol. II. 26.

En ipsum exemplar codicis Hamburgensis, saeculo XIV, ut putant, scripti, quod mihi Petersenii liberalitas et aliis praeter me spectata commodavit. Is enim folium illud in meum usum describendum curavit, quam rem bibliothecae Hamburgensis praefectus secundarius, Dr. Laurentius, tanta diligentia persecutus est, ut non solum compendia siglaque codicis accurate enotaret, sed etiam suam de nonnullis locis corruptis in integrum restituendis sententiam mecum per litteras communicaret.

2. CODEX HAMBURGENSIS.

Latrocinium Cecilius balbus l. 3 de nugis philosophorum: cum pirata deprehensus ad alexandrum ductus ab ipso interrogaretur, propter quod mare haberet infestum, Respondit libera continencia, propter quod tu orbem terrarum. sed quia id uno facio nauigio, latro vocor, tu quia facis magna classe, vocaris imperator. si solus captus fuerit alexander, latus erit; si ad nutum dionidis familiarentur populi, erit dionides imperator. vocabatur enim pirata dionides. nam quoniam ad causam non differunt nisi quia deterior est, qui rapit improbius, qui iusticiam abiectis decuit, quam qui manifestius impugnat leges. quas ego fugio, tu persequeris, ego veneror, tu contempnis. hoc mee fortunae iniquitas et familiaris rei

J. Sar. Pol. III. c. 14. med. Eidem (Alexandro) quoque eleganter et vere comprehensus pirata scribitur respondisse. Cum enim Alexander interrogaret, quid ei videretur quod mare haberet infestum, ille libera contumacia, Quid tibi, inquit, ut tu orbem terrarum. Sed quia id ego uno navigio facio, latro vocor; quia tu magna classe, diceris imperator. Si solus et captus sit Alexander, latro erit; si ad nutum Dionidi populi famulentur, erit Dionides imperator. Nam quoad causam non differunt, nisi quia deterior est, qui rapit improbius, qui iusticiam abiectius deserit, qui manifestius impugnat leges. Quas enim ego fugio, tu persequeris, ego utcunque veneror, tu contemnis. Me fortunae iniquitas et rei

---

5 *continencia*] scrib. *contumacia.* || 6 *terrarum*] In cod. *terram* scriptum esse videtur. || 9 *latus*] scrib. *latro.* || 10 *familiarentur*] scrib. *famulentur.* || *populi*] Cod. *pp:* Laur. *propterea*, quod dubito an rectum sit. || 12 *quoniam*] Cod. *q.ᵐ.* || 14 *abiectis decuit quam qui*] Corrige ex J. Sar. *abiectius deserit, qui.*

3 *comprehensus*] Utrumque bene sese habet, et hoc, et quod in Hamb. scriptum est *deprehensus:* quare nil hic mutaverim. || 13 *improbius*] Wer die Sache in grossartigem Massstabe betreibt, ist der Schlechtere. || 16 *utcunque*] editt. quaedam in margine *utrumque.*

angustia facit. si fortuna mea succresceret, fierem fortasse melior; ac tu, quo fortunacior, nequior eris. miratus alexander constanciam hominis eum merito arguentis, experiar, inquit, si futurus sis melior fortunamque mutabo; non ei ammodo, quod delinquis, sed tuca moribus ascribetur, cumque fecit ascribi milicie, ut possit exin salvis legibus militare.

familiaris augustia, te fastus intolerabilis et inexplebilis avaritia furem facit. Si fortuna mansuesceret, fierem forte melior. At tu, quo fortunacior, eo nequior eris. Miratus Alexander constanciam hominis eum merito arguentis, Experiar, inquit, an futurus sis melior fortunamque mutabo, ut non ei a modo, quod deliqueris, sed tuis moribus adscribatur, eumque itaque iussit conscribi militiae, ut posset exinde salvis legibus militare.

Idem Augustinus narrat de civitate dei lib. IV. cap. 4 (Quam similia sint latrociniis regna absque iustitia) his verbis usus. »Eleganter enim et veraciter Alexandro illi Magno quidam comprehensus pirata respondit. Nam cum idem rex hominem interrogasset, quid ei videretur, ut mare haberet infestum, ille libera contumacia, Quod tibi, inquit, ut orbem terrarum. Sed quia id exiguo navigio facio, latro vocor; quia tu magna classe, imperator.« In quibus quemnam secutus sit auctorem, facile coniectura assequaris et assecutus est iam Angelus Maius collato Nonio pag. 318 s. v. infestum habere. Eius haec sunt verba. »*Infestum mare haberet* pro *mare latrocinando infestaret*. M. Tullius de re publica libro III: nam cum quaereretur ex eo, quo scelere conpulsus mare haberet infestum uno myoparone, eodem, inquit, quo tu orbem terrae.« Cfr. eundem pag. 534 s. v. Myoparo. Videtur igitur Caecilius quoque Cicerone usus esse, Joannes vero Saresberiensis illo loco non ipsum Ciceronem, sed Caecilium nostrum ante oculos habuisse.

Narratione de Alexandri patientia ad finem perducta, id est post verba *salvis legibus militare* codex Hamburgensis haec addit:

> Item poît aug^9 rideret respondit, video magnos latrones ducentes paruum latronem ad suspendendum: sacrilegia enim minuta puniuntur, sed magna in triumphis feruntur.

Quae Laurentius sic putat emendari posse:

Item imperator Augustus ridens respondit etc. Equidem haec tentabam:

Item ponit: (? i. e. pergit, scribit. An latet *postquam?*) Augustus (Diogenes?) * * * videret, respondit etc. Ad lacunam enim ut confugerem, non tam *respondendi* vocabulum me movit, quod pro *dicendi* usurpatum esse dicas, quam quod nusquam in antecedentibus

---

2 *ac tu*] scrib. *at tu.* || 6 *ammodo*] scrib. *amodo.* || 7 *delinquis*] praestat *deliqueris.* || *ascribetur*] hic quoque praeferendum, quod J. Sar. exhibet, *ut .... adscribatur.* || 8 *cumque*] scrib. *eumque.*

3 *mansuesceret*] Emendandum *mea succresceret.* || 8 *a modo*] Corrige mecum *amodo*, i. e. *abhinc, von nun an.* Cfr. ex. gr. J. Sar. Pol. IV. 11: ne quis Brutum amodo imitetur.

lectoris animum ad *sacrilegii* vocem praeparatum esse viderem. Restat iam, ut quaenam fere exciderint, coniiciendo assequamur. Et hic quidem ultro nobis succurrunt Diogenis Laertii verba, apud quem quae de Diogene Cynico legimus, (VI. 2, 45) tantopere cum nostris conspirant, ut in eadem re nomina tantum mutata esse suspiceris. *Θεασάμενός ποτε τοὺς ἱερομνήμονας τῶν ταμιῶν τινὰ φιάλην ὑφῃρημένον ἄγοντας ἔφη· Οἱ μεγάλοι κλέπται τὸν μικρὸν ἄγουσιν.* An idem cum nostro illud est dictum, quod in excerptis Monacensibus (vid. infra Mon. fol. 89 b. vers. 2) refertur? »Democrates (Xenocrates?) cum magistratus Atheniensium furem quendam ad poenam raperent, Magni, inquit, fures minorem puniunt.« Vel, ut in aliis libris legitur: »Hic (scil. Xenocrates) cum vidisset latronem quendam ad patibulum duci, subrisit dicens, quod magni fures minores morti dampnabant« (?).

Sed utut haec res sese habet, hoc apertissimum in neutra Caecilii narratione vocabulum *latrocinium* occurrere: unde iure statuere videmur, illud folium non lexici proprie dicti partem effecisse, quod latinorum vocabulorum usum atque significationem allatis veterum testimoniis illustraret, sed potius ex quadam apophthegmatum collectione rescissum esse.

Iam vero res ipsa monere videtur, ut et capitis illius Policratici (III. 14) finem subiiciam illorumque commodis inserviam, quibus Joa. Saresberiensis opera non praesto sunt. Qua occasione ita utendum duxi, ut nonnullos locos, qui in editionibus corrupti leguntur, emendarem, alios commentariolo illustrarem, denique omnia in paragraphos dispertirem, quo facilius infra singula dicta suo quoque numero notari possent: nec dubito quin, qui totum meum libellum perlegerint, illud caput pro principio disputationis ponendum, et pleraque, donec probetur contrarium, Caeciliana habenda esse sibi sint persuasuri.

3. JOA. SARESBER. POLICR. III. 14.

(4) Factio tamen adulatorum praevaluit, quod et praesentium rerum declarat status. Adeo quidem, ut si quis popularium modestiae conscius, assentationis et scurrilitatis vitio crediderit temperandum, hostis felicium censeatur aut invidus. Eorum siquidem aures tenerae sunt, et iam obsurduerunt vero, et linguam severiorem sine offensione gravissima non admittunt. In quo quantum a virtute maiorum aetas nostra degeneraverit, perspicuum est, cum sine patientia aut nullum aut rarum esse opus virtutis verbis docuerint et exemplis. (5) Unde et Aristippus a maledicente se discedens, dixisse legitur: ut tu linguae tuae, sic et ego mearum aurium dominus sum. (6) Antisthenes quoque cuidam dicenti, Maledixit tibi ille, Non mihi, inquit, sed illi, qui in se, quod ille culpat, agnoscit. (6^b) Sed

3 *felicium*] alii *fidelium*. || § 5. Similiter Diogenes Laert. II. 8. 69 de Aristippo: *Λοιδορούμενός ποτε ἀνεχώρει. τοῦ δ' ἐπιδιώκοντος εἰπόντος, Τί φεύγεις; Ὅτι, φησί, τοῦ μὲν κακῶς λέγειν σὺ τὴν ἐξουσίαν ἔχεις, τοῦ δὲ μὴ ἀκούειν ἐγώ.* || 8 *Antisthenes* primus restitui; edit. omnes *Antitanes*. Cfr. infra ad Monac. fol. 89. b. v. 6.

etsi mihi maledicere curet, non curo, quia auditus lingua debet esse robustior, cum singulis hominibus linguae sint singulae, sed aures binae. Aliquatenus tamen curo, quia eo ipso me fatetur esse superiorem, quoniam (6c) superioris personae usus est, detractionibus subiacere, inferioris inferre. Gauderem itaque, nisi urgente humanitate compaterer infelici. (7) Item T. Tatius maledicenti sibi Metello, Facile, inquit, est in me dicere, cum nec sim responsurus. (8) Quid Xenophon? Tu, inquit cuidam, maledicere didicisti, et ego, conscientia teste, didici maledicta contemnere. (9) Sed et Diogenes, cum ei nunciasset amicus, Te [amici] cuncti vituperant, Oportet, inquit, sapientiam ab insipientibus feriri; esse enim meliorem indicat mala lingua quem carpit. (10) Quid Plato? totius philosophiae robur patientia est. (11) Cum et Socrates non modo verbo negat sapientem posse offendi, sed adversus omnem fortunam robore virtutis suae manere immobilem. Et ne philosophis solum patientiam sic placuisse credas, ipsorum imperatorum ad eam publicandam exempla occurrunt. (12) In Graecia quis maior aut clarior Alexandro? Ei Antigonus paedagogus citharam fregit abiecitque dicens: Aetati tuae iam regnare convenit, pudeatque in corpore regni voluptatem luxuriae dominari. Quod et ille patientissime tulit, licet plerumque impatientissimus fuerit, et patrem sicut virtute, ita vitiis superaret. (13) Eidem quoque eleganter et vere comprehensus pirata scribitur respondisse . . . . . . salvis legibus militare. (14) Sed ne a solis Graecis mutuemur instrumenta virtutum. Scipio Africanus, cum eum parum pugnacem quidam argueret, Imperatorem, inquit, me mater peperit, non bellatorem. (15) Marius quoque, cum eum Teutonus quidam ad pugnae certamen provocaret, respondit, si cupidus mortis esset, se vitam laqueo posse finisse, et sapientem non tam pugnam quam victoriam quaerere. (16) Primus Romanorum imperator Iulius Caesar quam patientissime multa sustinuit. Cum enim calvitium iniquissime ferret, et deficientem capillum a cervice convocaret ad frontem, ab irato milite ei dictum est: Facilius est, Caesar, te calvum non esse, quam me in exercitu Romano quicquam egisse vel acturum esse timidius. (17) Idem lato clavo usque ad manus fimbriato utens laxius cingebatur. Unde Sylla optimates saepius admonens dicebat, ut puerum male praecinctum caverent. (18) Praeterea margaritarum cupidissimus erat, quas, pondus earum interdum manu conferens, discernebat. Cum ergo Caecilio invito, rem ut faceret senatus auctoritate denunciasset, ut ei videbatur, iniustam, Ante, inquit, satiaberis margaritis. At haec forte aut aliena videbuntur, et quae viri fortis

---

5 *T. Tatius*] Codices Caecilii infra allegandi partim *Tatius*, partim, quod unice verum est, *Titus* exhibent: mox varia lectio margini adnotata vel supra scripta in ipsum verborum ordinem irrepsit, ortumque illud *T. Tatius*, quod ex utraque scriptura conflatum est. Intellige igitur Titum imperatorem Romanum. || 7 *conscientia teste*] In Policr. l. VIII. c. 15, ubi iterum hoc Xenophontis responsum legitur, est *conscientia iusti*. || 14 *corpore*] mihi corruptum esse videtur. || 16 *superaret*] an *superarit?* || § 13. Cfr. supra pag. 5. || § 16. Cfr. Suet. Caes. 45. || 23 *deficientem*] i. e. raros capillos. || § 17. Cfr. Suet. Caes. 45. Macrob. Saturn. 2, 3, 9. Ceterum de locis parallelis ex Suetonio et Macrobio afferendis infra cap. 7 accuratius dicendum erit. || § 18. Cfr. Suet. Caes. 47.

animus honestius dissimularet. (19) Verum et famosi libelli de eo scripti sunt, et iocularia carmina in eum publice divulgata, ut est illud militum in triumpho Gallico celebratum:

Gallias Caesar subegit, Nicomedes Caesarem;
Nicomedes non triumphat, qui subegit Caesarem.

eo quod Nicomedes rex Bithyniae Caesarem ferebatur stupro subegisse, in ulteriorem familiaritatem, dum iunior esset, admissum. (20) Facilitatem quoque Caesaris in augendo senatu Cicero nimis acriter et palam irrisit. Nam cum ab hospite suo P. Manlio rogaretur, ut privigno suo decurionatum expediret, ait assistente frequentia: Romae si vis habebit, Pompeiis difficile est. (21) Sed et in epistola ad C. Cassium violatorem dictatoris mordacius scripsit: Vellem Idibus Martiis me ad coenam invitasses, profecto reliquiarum nihil fuisset; nunc me reliquiae vestrae exercent. (22) Sed Augustus fortunae favor et Romani decus imperii avunculo suo Iulio longe patientior exstitit. Cum enim Antonius maternam eius originem despiciens eum Afrum genere et natura panificum diceret, hoc ridens pertulit, et eundem sorore tradita in affinitatis gratiam admisit. (23) Cum vero idem adversus privatum quendam gravius excandesceret, Loquere, inquit, Auguste, quod placet, quia diligentiam auribus, linguae taciturnitatem indixi, quietem manibus, et in omnibus his potentiam tuam accusa, quia nihil aliud argui potest in patientia mea. (24) Ad haec non modo in se servabat patientiam, sed eandem aliis indicebat. Unde cum Tiberius quereretur per epistolam [suam], quod multi de illo perperam loquerentur, ita rescripsit: Mi Tiberi, noli nimis indignari, quemquam esse, qui de me male loquatur. Satis enim est, si hoc habemus, ne quis nobis male facere possit. (25) Idem tanta comitate quoslibet se adeuntes excipiebat, ut quendam Romanum ioco corripuerit, quod sic sibi libellum porrigere vereretur, quasi elephanto stipem. (25^b) Et quantum Nero adulationibus captus est, tantum iste ab eis aversus est. Unde appellationem domini, ut maledictum et opprobrium semper exhorruit. (26) Denique cum eidem descendenti per sacram viam desperatus quidam di-

§ 19. Cfr. Suet. Caes. 49. || § 20. Cfr. Suet. Caes. 41. Macr. Saturn. 2, 3, 11. || 6 *augendo*] malim *adlegendo* cum Macr. et Suet. ll. ll. || § 21. Cicero epist. ad fam. 12, 4: Cicero Cassio S. Vellem Idibus Martiis me ad caenam invitasses: reliquiarum nihil fuisset. Nunc me reliquiae vestrae exercent. Macr. Sat. 2, 3, 13. || § 22. Cfr. Suet. Aug. 4. || 13 *panificum*] an *panificem?* Neutrum veterum scriptorum locis comprobatum est; Suet. l. l. *pistor* et *pistrinum exercere.* || 16 *diligentiam*] Ut de gravi huius vocis corruptela dubitari vix potest, ita ipsa emendandi via incerta est. Nam *surditatem*, quod proprie opponitur *taciturnitati*, longius a codicum scriptura recedit: *diffidentiam* vero restituto vix eam sententiam elicias, ut dictum sit pro *Aures meae assuerunt, ne talibus fidem habeant.* Expediant igitur alii corruptum hunc locum. || § 24. Cfr. Suet. Aug. 51. || 19 *suam*] quidam codd. omittunt. || 20 *de me*] scripsi adstipulante Suetonio; editiones perperam *de te:* nam *illo* ad Augustum haud dubie referendum est. || § 25. Quint. inst. orat. 6, 3, 59: Adhibetur autem similitudo interim palam, interim inseri solet parabolae; cuius est generis id Augusti, qui militi libellum timide porrigenti, Noli, inquit, timere, quasi assem elephanto des. Suet. Aug. 53. Macr. Sat. 2, 4, 2.

ceret, O tyranne; Si essem, inquit, non diceres. Observatum etenim est, quotiens ingrediebatur urbem, ne supplicium de quoquam sumeretur. (27) Curtius eques Romanus deliciis affluens, cum macrum turdum sumpsisset in convivio Caesaris, interrogavit an mittere liceret. Respondit princeps, Quidni liceat? Ille statim per fenestram misit. (28) Miles peritus aucupii noctuam, quae Caesaris noctes inquietaverat, spe ingentis praemii captam tulit ad Caesarem. Laudato imperator mille nummos dari iussit. At ille ausus est dicere, Malo vivat, avemque dimisit. Abiitque contumax miles non sine admiratione multorum, Caesare non offenso. (29) Veteranus cum sibi die dicto periclitaretur, Caesarem rogavit in publico ut adesset: ille praestantissimum advocatum, quem elegerat, sine mora dedit, commendavitque ei litigatorem. Veteranus autem exclamavit voce magna: At non ego, Caesar, periclitante te bello Actiaco, vicarium quaesivi, sed pro te ipse pugnavi, detexitque impressas cicatrices. Erubuit Caesar venitque in advocationem, ut qui vereretur non superbus tantum, sed etiam ingratus videri. (30) Intraverat urbem adolescens simillimus Caesari, perductumque ad Caesarem interrogavit Augustus: Dic mihi adolescens, fuit umquam mater tua Romae? Negavit ille, nec contentus adiecit, Sed pater meus saepe. Ioci itaque asperitate urbana notitiam omnium et familiaritatem imperatoris sibi conciliavit. (31) Augustus in Pollionem scripserat fescenninos. At ego, inquit Pollio, taceo. Non est leve in eum scribere, qui potest proscribere. Sicut autem non facile concipiebat iram, ita nec facile admittebat ad amicitiam; et quem semel admiserat, constantissime retinebat. (32) Eidem inter varia dedecora a quodam probrose obiectum est, quod adoptionem avunculi stupro meruerit, quia cum Iulius arctius admisisse dictus est, non sine rumore prostratae pudicitiae. (33) Alius quoque eidem iratus obiecit, quod solitus esset crura ardenti face suburere, quo mollior surgeret pilus. (34) Sed et eo tympanizante, ut in primo libro dixisse me memini: Videsne, inquit plebeius quidam, ut cinaedus orbem digito temperat? (35) Et cum nanus ob corporis brevitatem conviciantis cuiusdam impetu diceretur, sibi calciamentis grandiusculis utendum esse respondit. (36) Tiberius quoque, cum in multis legatur fuisse culpabilis, tamen adversus convicia satis firmus ac patiens exstitit, dicens, quia in civitate libera linguas liberas esse oportebat. (37) Et, ut ad peiores transeam, Domitianus verborum satis patiens fuit, in quo sic lusisse fertur orator Licinius: Non esse mirandum, quod aeneam haberet barbam, cui os ferreum, cor plumbeum esset, eo quod dura

---

1 *Observatum*] *Observare* hoc loco dictum esse videtur pro *legem observare, morem tenere*, plane ut nostrum *beobachten.* || § 27. Cfr. Macr. Sat. 2, 4, 22. || § 28. Cfr. Macr. Sat. 2, 4, 26. || § 29. Cfr. Macr. Sat. 2, 4, 27. || § 31. Cfr. Macr. Sat. 2, 4, 21. || § 32. Cfr. Suet. Aug. 68. || § 33. Suet. Aug. 68, apud quem *nuce* legitur pro *face.* || § 34. Suet. l. l. — *in primo libro*] scil. cap. 7. || § 35. Cfr. Suet. l. l. I. Sar. Policr. I. 7. || § 37. Cfr. Suet. Nero 2. *Domitianum* igitur intellige *Neronem.* || 29 *verborum satis patiens*] Ob eandem virtutem Suetonius quoque Neronem laudibus effert cap. 39: Mirum et vel praecipue notabile inter haec fuit, nihil eum patientius quam maledicta et convicia hominum tulisse, neque in ullos leniorem, quam qui se dictis aut carminibus lacessissent, exstitisse. || *Licinius*] sic editur in Suetonio; editt. I. Sar. *Lucinius.*

duntaxat loquebatur, quae ex iniquitatis adipe, quam corde conceperat, procedebant. Iniquitas enim sedere describitur super talentum plumbi. (38) Vespasianus quoque, de quo in libro secundo, dum Hierosolymorum destructio describeretur, fecimus mentionem, etiam infimorum convicia patienter tulit; adeo ut sene bubulco proclamante in improperium eius, Vulpem pilum posse mutare, non animum, eo quod natura cupidissimus esset pecuniae nec avaritiam minueret processus aetatis, respondisse dicatur: Huiusmodi hominibus debemus risum, nobis correctionem, sed poenam criminosis. (39) Nam de Tito filio eius quid dicam? qui patris avaritiam tanta liberalitate purgavit, ut amor et deliciae humani generis ab omnibus diceretur, constantissime tenens in moribus, ne quem postulandi gratia ad se accedentem sine spe quocunque modo dimitteret. (40) Unde interrogantibus domesticis, cur plura polliceretur, quam praestare posset, respondit: Non oportet quemquam a sermone principis tristem discedere. (41) Idem quoque recordatus super coenam, quod nihil tota die cuiquam praestitisset, dolens et gemens dixit: O amici, hunc diem perdidi. Quem in vita offenderit, ab Hierosolymorum reversus excidio, nondum legi: et forte illum vindicem innocentiae et crucifixi redemptoris elegit Dominus, qui populum excaecatum incolumi conscientia non modo innocenter, sed et religiose deprimeret et deleret. (42) Nactus etenim horam, qua moriendum erat, cum lectica veheretur, suspexisse dicitur coelum, multumque conquestus est, eripi sibi vitam immerenti: neque enim exstare ullum factum suum, quod sibi poenitendum esset excepto uno duntaxat. Id quale fuerit nec ipse tunc prodidit, neque cuiquam notum fuit. (43) Quid de patientia huius loquar, cuius tanta benignitas erat, ut sua iniuria, dum a concivibus abstineret, vix crederet quemquam posse moveri. Tantae siquidem civilitatis et humanitatis in imperio fuit, ut omnibus prodesse nullumque punire studuerit; convictos coniurationis contra se dimisit illaesos et in pristinam familiaritatem admisit. (44) Sed et Domitianus, qui gravissimam theomachiam exercuit post Neronem, huius virtutis aliquid plerumque indulsit civibus, licet in eos gratis quandoque insaniret, homo quidem usquequaque inutilis, et qui nihil aliud habebat virile, nisi nomen imperii.

1 *Iniquitas*] Die Iniquitas wird von den Kuenstlern dargestellt, wie sie auf einem Talente Blei sitzt: al. *iniquitatis*, quod corruptum esse videtur. || § 38. Cfr. Suet. Vespas. 16, et Policr. II. cap. 4 fin. et cap. 7. || 4 *infimorum*] meo periculo emendavi, cum in editt. omnibus legatur *infirmorum*. || § 39. Cfr. Suet. Tit. cap. 1 et 8. Eutrop. VII. 21: vir (i. e. Titus) omnium virtutum genere mirabilis adeo, ut amor et deliciae humani generis diceretur. Aur. Vict. epit. de Caes. 10: Sed haec in melius conversa adeo ei immortalem gloriam contulere, ut deliciae atque amor humani generis appellaretur. || 10 *sine spe*] edidi coll. Suet. l. l.; editt. omnes *sine re vel spe* || § 40. Suet. Tit. 8. Eutr. VII. 21: Facilitatis et liberalitatis tantae fuit, ut cum nulli quidquam negaret et ab amicis reprehenderetur, responderit, Nullum tristem debere ab imperatore discedere. || § 41. Suet. Tit. 8. Eutr. VII. 21: Praeterea cum quodam die in caena recordatus fuisset, nihil se illo die cuiquam praestitisse, dixerit (suppl. *ut* ex antecedentibus): Amici, hodie diem perdidi. || § 42. Suet. Tit. 10. || § 43. Eutr. VII. 21: Romae tantae civilitatis in imperio fuit, ut nullum omnino puniret, convictos adversum sese coniurationis ita dimiserit, ut in eadem familiaritate, qua antea habuerit. Cfr. Suet. Tit. 9. Aur. Vict. de Caes. 10. Epit. de Caes. 10. || § 44. Cfr. Suet. Domit. 3.

(45) Ut tamen ignaviam mentis et inertiam corporis sub praetextu principatus occuleret, quotidie sibi secretum horarum spatium vindicabat, nec quicquam interdum facere consueverat, nisi captare muscas, et easdem stilo praeacuto configere, ut cuidam interroganti, ne quis intus esset cum Caesare, non absurde sibi responsum sit a Metello, Ne musca quidem: quod licet impiissimo principi innotuerit, dissimulare maluit quam punire. (46) Sed cur patientiae exempla propono, cum omnibus liqueat etc.

Ne vero diutius coniecturis immoremur, ea iam in medium proferenda esse arbitror, quibus apophthegmata illa pleraque ex Caecilio fluxisse evincitur. Schedae sunt Lindenbrogianae, quas Vir Clariss. Fridericus Haase, professor Vratislaviensis, cum me in hoc studiorum orbe elaborare in epistola ad eum data forte adnotassem, manu sua descriptas dono mihi misit. Nec me tantum singulari obstrinxit beneficio, sed ab omnibus, quotquot me edendo Caecilio operae pretium fecisse iudicant, gratiam iniit maximam. Quae schedae mirum est quantum animum meum suscepto labore fessum erexerint, iamque confirmatis, quae dudum suspicatus fueram, novo me studii amore incenderint. Quamvis enim septemdecim tantum sint numero apophthegmata, quae Lindenbrogius »ex vet. ms. lib. sententiarum« descripsit, primum tamen titulum operis Caeciliani, de nugis philosophorum, confirmant; deinde, quot librorum fuerit volumen illud, nos docent; denique novem apophthegmata exhibent (§ 2, 3, 7, 8, 13, 14, 15, 16, 17), quae iisdem fere verbis apud I. Sar. quoque leguntur. Accidit igitur rara admodum fortunae benevolentia, ut quae epitomator ille describenda sibi sumsit, ad nostra quasi commoda referret, aliaque excerperet, iam nota quidem, sed unde Policratici lib. III. cap. 14 ex Caecilio fluxisse nobis persuadeamus, alia vero, a virorum doctorum notitia adhuc remota, quibus Caecilii fragmenta augeri possent. Sed longe maximi est momenti, quod eaedem schedae Caeciliana esse, quae equidem ἀδέσποτα et ἀνώνυμα ex codicibus Monacensi atque Parisinis descripseram, luce clarius testentur. Casu enim illo adverso, quo effectum est, ut Caecilii nomen tertio decimo iam saeculo et fortasse multo ante in oblivionem caderet, factum quoque est, ut etiamnum multa quidem in codicibus librisque veteribus lateant Caeciliana, sed privata auctoris nomine. Iam cum nonnulla, quae in Lindenbrogiano codice sint servata, in Monacensi, Parisinis aliisque libris legantur, iam hoc loco, quo tutius lectorem in adnotationibus exemplo Lindenbrogiani codicis subiectis ad illos relegare liceret, eorum librorum recensum agere constitui, quos infra demum in medium prolaturus sum. Notis igitur usus sum his:

M = codex Monacensis.
P = anecdota Parisina.
[L = codex Lindenbrogii.]

§ 45. Cfr. Suet. Domit. 3. Ceterum qui Nostro est Metellus, Suetonio dicitur Vibius Crispus: putaverim igitur, Joannis Sar. memoriam ad illud aberrasse, quod supra paragr. 7 narraverat.

[H = codex Hamburgensis.]
[S = Ioa. Saresb. Policrat.]
V. B. = Vincentii Bellovacensis speculum morale, doctrinale, historicum.
W. B. = Walteri Burleii liber de vita et moribus philosophorum, circiter annum 1330 conscriptus.

4. CODEX LINDENBROGII.

FRAGMENTA CAECILI BALBI DE NVGIS PHILOSOPHORVM.

(1) Cum quidam fur nocte Diogeni de capite pecuniam auferre conaretur, ille sentiens ait: Tolle, infelix, et permitte utrumque dormire.

(2) Cum quidam veteranus quadam die coram iudicibus periclitaretur, rogavit Caesarem, ut adesset in publico ad eum iuvandum: cui Caesar dedit bonum advocatum. Cui ille: O Caesar, te periclitante bello Actiaco non vicarium quaesivi, sed pro te ipse pugnavi, detexitque cicatrices vulnerum, quae susceperat, erubuitque Caesar: venit in advocationem; verebatur enim non tantum superbus, sed ingratus videri.

(3) Cum cuiusdam mulieris viro, Duellio nomine, exprobratum esset, quod oris vitio foedaretur, malum scilicet anhelitum habens et ipse conquereretur uxori suae, quod non de hoc monuerat eum, respondit illa: Fecissem; sed omnium hominum ora ita olere putabam.

(4) Cato senex ait, maximum maioribus nostris telum fuisse fidem, ex qua plures pace susceptae, quam bello gentes fuerunt devictae.

Discrepantia Codicis Lindenbrogiani: 1 *FRGMENTA* || 3 in marg. *scr. utcunque* || 6 *Asiano* || *ipso*; sed in marg. *ipse.* || 9 *Damello* || 13 *celum*; sed in marg. *scr. telum* ||

---

§ 1. Mon. 91. a. 1 (46): W. Burley s. v. Diogenes: Cum illi de sub (scrib. *suo*) capite nocte fur sacculum cum nummis subtrahere conaretur et ille sentiret, contempta pecunia ait: Tolle, infelix, tolle, ut uterque dormiat. || § 2. S 3, 14, 29; Macrob. Sat. 2, 4, 27. || 6 *Actiaco*] restitui ex I. Sar. et Macr. ll. ll. || 7 *erubuitque Caesar: venit*] malim, quod apud I. Sar. et Macr. legitur, *Erubuit Caesar venitque.* || § 3. L. A. Seneca, fragm. 70 ed. Haase (ex Hieron. adv. Iovin. lib. I. pag. 191): Duellius, qui primus Romae navali certamine triumphavit, Biliam virginem duxit uxorem.... Is iam senex et trementi corpore in quodam iurgio audivit exprobrari sibi os foetidum, et tristis se domum contulit, cumque uxori questus esset, quare nunquam se monuisset, ut huic vitio mederetur: „Fecissem, inquit illa, nisi putassem omnibus viris sic os olere." I. Sar. Pol. 3, 13. || 9 *Duellio*] correxit Haase in marg. cod. L. Vinc. B. sp. h. 5, 34 (de primo bello Carthaginiensi): Actor. hunc quem vocat Orosius Duilius, dicit Helinandus eundem esse, quem vocat Hieronymus Duellum. Hieron. c. Iovin. lib. I. Duellus, qui etc. Cfr. etiam spec. doctr. 6, 3. Stobaeus florilegio 5, 83 *ἐκ τῶν Ἀριστοτέλους Χρειῶν. Γέλων ὁ Σικελίας τύραννος σαπρόστομος ἦν. ὡς οὖν τῶν φίλων εἰπέν τις αὐτῷ, ὠργίζετο τῇ γυναικί, ὅτι οὐκ ἐμήνυσεν αὐτῷ. Ἡ δὲ ἔφη· Ὤμην γὰρ καὶ τῶν λοιπῶν ὁμοίως ὄζειν τὸ στόμα.* || § 4. M 85. a. 2 (4, 2). || 14 *fuerunt*] M. recte *fuerint.*

(5) Epaminondas cum illi quidam ex patricio genere factus inferior ignobilitatem generis obiiceret: Gaudeo, inquit, quod ego ex me surrexi, tu ex te cecidisti generisque nostri uterque sumus decus et dedecus.

(6) Zenon cuidam inerti ait: Indignareris, si aliquis optaret tibi, ut mutilas manus vel pedes haberes; nunc autem integra sunt: cur eis uti non vis?

(7) Caecilius Balbus lib. IIII. de nug. Philosophor. Agathocles rex dicere solitus, auro tanquam fictilibus et fictilibus tanquam auro utendum est. Longe enim praestantius est moribus splendescere, quam rebus. Cum enim in vasis fictilibus caenasset, quaerentibus causam huius dixisse fertur:

Rex ego cum sim
Siciliae, figulo sum genitore satus.
Fortunam reverenter habe, quicunque repente
Dives ab exili progrediere domo.

Considerans enim humilem ortum suum vasis fictilibus contentus erat.

Libr. 3.

(8) Socrates negat sapientem posse offendi, sed adversus omnem fortunam robore virtutis suae manere immobilem: hoc enim est praecipuum, erigere animum super minas et promissa et fortuita.

(9) Cum Tiberius Augusto Caesari conquereretur, quod multi de eo male loquerentur,

Discrepantia Cod. Lindenbrogiani: 1 *paterno* || 2 *omnesque nostri* || 3 *sumus et dedecus* || 6 *Anatocles* || 11 *Ciliciae*

---

§ 5. M 89. a. 4 (31, 1) || 1 *patricio*] emendavi ex M. || 2 *generisque*] ex eodem l. l. (*gñisque*). || 3 *decus et dedecus*] cum M; an *et decus et dedecus?* || § 6. M 90. b. 3 (42) || § 7. I Sar. P. 5, 17: Sic auro tanquam fictilibus, fictilibus quasi auro utatur . . . . . Atqui longe praestantius est, moribus splendere quam rebus, nec rerum unquam specie illustrabitur, quem suae turpitudinis macula dehonestat. Fictilibus coenasse ferunt Agathoclea regem Atque abacum Samio saepe onerasse luto. Fercula gemmatis cum poneret aurea vasis, Et misceret opes pauperiemque simul, Quaerenti causam respondit: Rex ego qui sum Siciliae . . . . domo. Res itaque non sunt in vitio, sed usus etc. Cf. Auson. Epigr. 8. Plut. apophth. Reg. et Imp. s. v. Agath. 1: *Ἀγαθοκλῆς υἱὸς ἦν κεραμέως. γενόμενος δὲ κύριος Σικελίας καὶ βασιλεὺς ἀναγορευθεὶς εἰώθει κεράμεα ποτήρια τιθέναι παρὰ τὰ χρυσᾶ, καὶ τοῖς νέοις ἐπιδεικνύμενος λέγειν, Ὅτι τοιαῦτα ποιῶν πρότερον, νῦν ταῦτα ποιεῖ διὰ τὴν ἐπιμέλειαν καὶ τὴν ἀνδρίαν.* Cfr. eundem in libello de sui laude. || 6 *solitus*] *est? erat?* || 7 *auro* etc.] Cfr. Sen. epist. 5, 6: Magnus ille est, qui fictilibus sic utitur, quemadmodum argento: nec ille minor est, qui sic argento utitur, quemadmodum fictilibus. || § 8. S 3, 14, 11. || 16 *negat*] *non modo verbo neg.* S l. l. || § 9. S 3, 14, 20. Suet. Aug. 51.

rescripsit: Noli nimis indignari cuiquam, qui de me mala loquitur. Satis enim est, si habemus, ne quis nobis male facere possit.

(10) Diogenes ait: Sapienti tam expedit tacere pro se, quam loqui contra se: neminem tacendo, multos loquendo circumventos.

(11) Solon cum aliis loquentibus taceret, interrogatus a Periandro, utrum propter inopiam verborum, aut quod stultus esset taceret, respondit: Nemo stultus tacere potest.

(12) Lysander interrogatus, cur magnam barbam libenter haberet, respondit: Ut solum tangendo eam virum me esse meminerim.

Ex lib. III.

(13) Cum Iulius Caesar calvitium graviter ferret et capillum defluentem a cervice ad frontem convocaret, milite sibi dicente, Facilius est te, Caesar, calvum non esse, quam me in Romano exercitu timidius quicquam egisse vel acturum esse: quod tamen patienter sustinuit. Inde cum de eo essent famosi libelli et ioculatoria carmina publice divulgata ad suum improperium, patienter sustinuit; et cum quidam maternam eius originem despiciens panificum eum vocaret, ridendo pertulit.

(14) Aristippus cuidam maledicenti sibi respondit: Ut tu linguae tuae, sic et ego aurium mearum dominus sum.

Discrep. Codicis Lindenbr.: 1 *de te* || 2 *malefacere* || 7 *Alexander* || 10 *vertice* ||

---

1 *rescripsit*] Addendum fortasse cum S et Suet. *ita.* || *cuiquam*] *quemquam esse* S et Suet. || *de me*] scripsi cum Suet.: nam et *de eo* ad Augustum referendum esse apparet, et Augusti patientia melius cernitur, cum convicia in sese ipsum iactata non curat. || *mala loquitur*] Longe praestat, quod S et Suet. habent, *male loquatur;* est enim oppositum *male facere.* Mox pro *habemus* iidem *hoc habemus.* || § 10. M 88. a. 14 (26, 23) W. B. s. v. Simonides: Tutius est tacere, quam loqui: neminem enim tacendo, multos autem loquendo circumventos agnovimus. (cognovimus?) || § 11. M 88, a. 15 (26, 4) W. B.: Cum in loco quodam multis loquentibus Solon non loqueretur, interrogatus est a Periandro, utrum propter verborum inopiam an quia (?) stultus esset taceret. Qui ait: Nemo stultus tacere potest. V. Bell. sp. m. 3, 1, 4. || § 12. M 87. b. 3 (19, 1). Vinc. B. sp. mor. 3, 5, 2: Lysander philosophus interrogatus, cur barbam magnam libenter portaret, respondit, Ut frequenter eam tangens me virum meminerim et viriliter agam. || 7 *Lysander*] cum M. Cfr. Plut. Lys. 1. *Λυσάνδρου δέ ἐστιν εἰκονικὸς εὖ μάλα κομῶντος ἔθει παλαιῷ καὶ πώγωνα καθειμένον γενναῖον.* ibid. *καί φασιν αὐτὸν εἰπεῖν, ὡς ἡ κόμη τοὺς μὲν καλοὺς εὐπρεπεστέρους ὁρᾶσθαι ποιεῖ, τοὺς δὲ αἰσχροὺς φοβερωτέρους.* || *solum*] *subinde* M. || § 13. S 3, 14, 16. 19. 22. || 10 *defluentem* etc.] *Defluere,* ubi de capillis usurpatur, significat *ausfallen, ausgehen:* cfr. Plin. 25, 11 et 27, 13. Quare nostro loco pro *herabwallen* poni potuisse vix crediderim restituendamque potius censeo alteram lectionem, ab I. Sar. ac Suetonio comprobatam, *capillum deficientem,* i. e. capillos rariores. Item *cervice* cum S probo pro vulgato *vertice:* qui cum summam tantum ac mediam fere partem capitis denotet, minus naturae repugnat, si quis *verticis* capillos, quam si quis comam a *cervice,* id est ab occipitio vel aversa capitis parte ad frontem convocet. || 12 *quod tamen*] Notanda *ἀνακολουθία.* || 13 *ioculatoria*] S *iocularia.* || 15 *ridendo*] S *ridens.* || § 14. S 3, 14, 5. M 89. b. 5 (35, 1).

(15) Titus in senatu Lucio Metello maledicenti sibi respondit: Facile est, in me maledicere, cum non sim responsurus.

(16) Xenophon cuidam maledicenti sibi respondisse fertur: Tu didicisti maledicere, et ego teste conscientia didici maledicta contemnere.

(17) Legitur de Diogene: cui cum amicus nuntiasset, Cuncti te vituperant, respondit: Oportet sapientiam ab insipientibus feriri, et meliorem se indicat lingua mala illum, quem carpit.

Lindenbrogius in margine, ut iam supra monui, adnotaverat *ex vet. ms. lib. sententiarum:* praeterea ad dextram haec adscripserat: *Balbi cuiusdam meminit Sid. Apollin. lib.* 9. *Ep.* 14*; sed is alius ab hoc est;* in laevo vero margine: *Cornelii Balbi locum citat Servius Danielis Aeneid.* 4. *pag.* 320. Quae hanc potius ob causam monenda duxi, ne quidquam a me praetermissum vel neglectum esse dicas, quam quod confirmato iam triplici testimonio Caecilii Balbi nomine, in illius partes discedendum esse arbitrer: nostrum erit, ut sub finem dissertationis de aetate Caecilii Balbi, quae ad veritatem maxime accedere videantur, exponamus.

Iam certissima et firmissima iacta sunt quaestionis de Caecilio instituendae fundamenta, quibus nixis fines nobis latius propagare liceat. Nam fragmentis iam in medium prolatis, quamvis sint paucissima, id sane consecuti sumus, ut quale fere argumentum fuerit Caeciliani operis quaeque in eo fuerint narrata, compertum habeamus; dictaque ibi collecta vidimus clarissimorum, quos antiquitas protulit, virorum, Graecorum, Romanorum, philosophorum, imperatorum, virorum domi militiaeque insignium. Quamquam libero ore praemoneo, quae mox lectorum oculis subiecturus sum, omnia ἀκέφαλα aetatem tulisse nec ullum auctoris vestigium in codicibus superesse; sed tanta est eorum vetustas, tanta fides, tanta auctoritas, tantopere Caecilium Balbum redolent adeoque simile est ipsum dicendi genus cum illo, quod in fragmentis Caecilii adhuc editis regnat, ut primo statim obtutu eiusdem operis reliquiae esse agnoscantur. Codicem Monacensem, quem supra dixi, ne

Discrep. Cod. Lindenbr.: 3 *Zeno philosophus cuidam* || Pro *Tu* cod. habuisse videtur *In.*

§ 15. S 3, 14, 7. M 89. b. 11 (35, 5). || 2 *cum non sim*] S *cum nec sim;* M *quia .... non sum.* || § 16. S 3, 14, 8 et 8, 15. M 89. b. 14 (35, 6). Par. 18. V. B. sp. h. 3, 67: Huius (Xenophontis) dicitur esse illa sententia, quam sibi maledicenti respondit: Tu, inquit, maledixisti (maledicere didicisti?); ego conscientia teste didici maledicta contemnere. W. B. Xen.: Agellius de Xenophonte sic ait: Cum quidam ei malediceret, ita respondit: Tu studium tuum ad maledicendum dedisti; ego vero conscientia teste didici maledicta contempnere. Ceterum Gellii nomen errore Walteri B. hic irrepsit, qua de re infra dicendum erit. || 3 *Xenophon*] consensu sex locorum ad § 16 supra adnotatorum comprobatum est. || 4 *et ego*] S quoque habet; ceteri *ego.* || § 17. S 3, 14, 9. M 90. b. 20 (45). W. B. Diogenes: Cum quidam ei nunciasset, Cuncti vituperant te, Oportet, inquit, sapientiam ab insipientibus impugnari: esse enim meliorem indicat mala lingua, quem carpit.

nuperrime demum in lucem protractum fuisse putes; immo famae celebritatem iam consecutus est satis magnam, quippe qui sit idem cum Frisingensi illo saeculi X. (nunc Monac. lat. 6292) quem excerpta ex Tibullo, Martiale aliisque poetis continere scimus ex F. G. Schneidewini praef. ad Mart.; idemque cum illo Publianarum sententiarum codice a mimorum editoribus certatim celebrato. Cfr. Iani Grut. adnot. ad P. Syrum pag. 1; Aretin, Beitraege VII. pag. 257; Bernh., roem. Litt.-Gesch. p. 319. not. 256. Continet vero haec:

Fol. 1—83. Exhortatio Alchuini.

F. 84, a—91, a. Fragmenta Caecilii, de quibus modo dixi.

F. 91, b. Excerptio proverbiorum de libro Persii.

F. 98, b. Excerptio ex Iuvenalis satiris.

F. 113, b. De libro Lucani proverbia.

F. 116, a. De libro Claudiani.

F. 117, a. Albii Tibulli.

F. 118, a. Martialis e Xeniorum.

F. 119, b. Horatii de libris carminum.

F. 125, a. Horatii ars poetica.

F. 128, a. De epodon.

F. 129, a. De Horatii epistolis.

F. 137, a. Ex Horatii sermonibus.

F. 143, a usque ad finem (fol. 162) dicta monosticha secundum litterarum ordinem disposita. (Publius Syrus.) Codex est in folio, ut dicunt, nitidissime scriptus, testeque L. Spengelio ab eodem librario exaratus, qui et Plautum Heidelbergensem descripsit; id quod eo confirmatur, quod uterque codex olim monasterii fuit Frisingensis. Igitur Spengelius, ut primum in hunc codicem incidit, anecdota illa descripsit et ex aliquo antiquitatis auctore fluxisse probe sensit; ab edendo vero id eum retardasse videtur, quod ei de origine illorum excerptorum nondum fortasse constaret. Equidem in hoc codice manu mea descripto typis exprimendo id curavi, ut singuli versus codicis versibus responderent, litterisque *inclinatis* conspicua essent, quae rubro liquore scripta sunt. Id cum per se ipsum philologis exoptatum, tum in hac scriptione nullo modo negligendum esse putavi, ubi uno quasi teste omnis causa agitur: accedit, quod philosophorum nomina interdum sic posita sunt, ut utrum ad praecedens dictum an ad subsequens referenda sint, iure haereas, praesertim cum librarius in hac re sibi neutiquam certam quandam legem scripsisse videatur: denique lacunae in codice passim obviae imitandae erant. Ad dextram codicis paginae versusque numerantur; ad laevam capita paragraphosque habes, in quae meo arbitrio totum opusculum descripsi.

5. CODEX MONACENSIS.

I, 1. Cum quidam stolidus audiente Pythagora 84. a.
diceret, malle se cum mulieribus esse, quam cum philosophis conversari, Et sues, inquit, libentius in coeno quam in
2. aqua versantur. *Socrates dixit:*
Quae facere turpe est, haec ne dicere honestum puta.
3. Lucrum turpe ut dispendium fugito.
4. Alteri saepe ignoscito, tibi numquam.
5. 6. Diu deliberato, cito facito. Minus dicito, quam facias.
7. Non vivit, cui nihil in mente est, nisi ut vivat.
8. Ingloria vita mortis est socia.
9. Nihil posse hoc est mortuum vivere.
10. Nihil curare hoc est insanum esse.
11. Bibe et ede, ut bene vivas: non vivas, ut tantum edas et bibas.

Discrepantia Codicis Monacensis: 84. a. 7 *sepe* || 10 *In gloria vita. mortis* etc. ||

Adnotat. **84.** a. I, 1. Plane iisdem verbis utitur W. B. s. v. Pythagoras, nisi quod in fine legitur *conversantur* pro *versantur.* V. B. sp. mor. III. 9, 3: Legitur in proverbiis philosophorum (sic!), quod cum quidam diceret audiente Pythagora, quod libentius moraretur in mulierum consortio, quam in philosophorum contubernio, respondit Pythagoras, Et sus libentius in luto quam in aqua pura. || I, 2. Ad verbum Isocr. in Paraenesi pag. 7: *ἃ ποιεῖν αἰσχρὸν, ταῦτα νόμιζε μηδὲ λέγειν εἶναι καλόν.* Demosth. in Conon. § 17 (1262): *ἃ πολλὴν αἰσχύνην ἔχει καὶ λέγειν, μὴ ὅτι γε ποιεῖν.* Cfr. Pauli epist. ad Ephes. 5, 12. Ex Romanis cfr. Publ. Syr. v. 665 Or. (765 Zell): Quod facere turpe est, dicere honestum ne puta. W. B. Socr. Quod f. t. est, hoc dicere inhonestum puta. Idem s. v. Isocr. Quae nefas est agere, eadem neque fieri bonum existimes. || 4 *Socrates*] An *Isocrates?* Cfr. adnot. ad I, 5 et XXVII, 3. || 5 *ne*] praestat *nec*, nisi *ne* pro *ne quidem* dictum esse malis. || I, 3. Eadem verba habes apud W. B. Socr. || I, 4. P. Syr. 293 Or. (328 Zell): Ignoscito saepe alteri, nunquam tibi. Pseudoseneca de moribus 111: Alteri *semper* ignoscito, tibi ipsi nunquam, coll. V. B. sp. d. 4, 68: ‚Seneca in lib. de moribus: A. *saepe* i. t. i. n.' Catoni tribuitur hoc dictum in cod Paris. lat. 4841, fol. 20, a (vide quae disserui in Schneidew. philol. VIII, 184): ‚Alteri saepe ignosce, tibi nunquam;' cum quo facit Sallust. Cat. 52 in oratione Catonis: ‚Qui mihi atque animo meo nullius unquam delicti gratiam fecissem, haud facile alterius lubidini malefacta condonabam.' Monacensi adstipulatur W. B. Socr. || I, 5. W. B. Socr. D. d. c. f. Idem s. v. Isocr. ‚Consiliare diutius, effice vero deliberata velociter.' Catoni tribuitur in eodem cod. Paris. fol. 20, b. || I, 6. Ad verbum descripsit W. B. Socr. || I, 7. W. B. Socr. ‚est in mente'; reliqua eadem sunt. || I, 8. P. Syr. 189 Or: Est socia mortis homini v. ingloria. || I, 9. P. Syr. Or. 478 (543 Zell): Nil posse quenquam, mortuum hoc est vivere. W. B. Socr. Nihil .... esse. || I, 10. Vid. W. B. ad I, 9 laudatum. || I, 11. Socratis est dictum testibus Plut. de aud. poet. t. II. p. 21 E; Diog. Laert. II. 5, 34; Athen. IV. p. 158 F. Gell. 19, 2, 7: ‚Socrates quidem dicebat, multos homines propterea velle vivere, ut ederent et biberent; sese bibere atque esse, ut viveret.' Inde sua hausit Vinc. Bellov. spec hist. 3, 57 et sp. d. 4, 89. W. B. Socr. ‚Dicebat autem .... viveret,' omisso

12. Compendiosa eos via ad gloriam pervenire, qui darent operam, ut quales videri vellent, tales essent. *Demenander dixit:*

13. Negat sibi ipse, qui quod difficile est petit. *Socrates dixit.*

14. Praesumenti auctoritas datur, cum credit dominum posse praestare

15. quod petitur. Cupiditati ipsa etiam tarda est celeritas.

16. Malum alienum tuum ne feceris gaudium.

17. Damnum nisi ex habundantia raro evenit.

18. 19. Hoc est melius quod honestius. Non convenit ridiculum esse ita, ut ridendus ipse videaris. *Heraclitus dixit.* 84. b.

20. 21. Nulli imponas, quod ipse pati non possis. hoc exhibe, quod tibi optaveris exhiberi.

22. 23. 24. Praesentibus pro solatio esto. exhibe tolerantiam. malis loquere quod gratum sit, facito quod expedit.

25. Praesentem et laudare et laedere minime decet.

---

homines, et inter dicta Socratis notabilia eodem capite et hoc habet: Edas et bibas, ut bene vivas; non vivas, ut tantum edas et bibas. || I, 12. Cic. de offic. II. 12, 43: Quanquam praeclare Socrates hanc viam ad gloriam proximam et quasi compendiariam dicebat esse, si quis id ageret, ut qualis haberi vellet, talis esset. Val. Max. VII. 2, ext. 1: Idem (Socrates) expedita et compendiaria via eos ad gloriam pervenire dicebat, qui id agerent, ut quales videri vellent tales etiam essent. Cfr. Plato in Gorg. p. 527. Xen. Memor. I. 7, 1: *ἀεὶ γὰρ ἔλεγεν ὡς οὐκ εἴη καλλίων ὁδὸς ἐπ᾽ εὐδοξίαν, ἢ δι᾽ ἧς ἄν τις ἀγαθὸς τοῦτο γένοιτο ὃ καὶ δοκεῖν βούλοιτο.* Ibd. II. 6, 39: *ἀλλὰ συντομωτάτη τε καὶ ἀσφαλεστάτη καὶ καλλίστη ὁδὸς, ὦ Κριτόβουλε, ὅ τι ἂν βούλῃ δοκεῖν ἀγαθὸς εἶναι, τοῦτο καὶ γενέσθαι ἀγαθὸν πειρᾶσθαι.* Cyropaed. I. 6, 22. V. B. sp. d. 5, 67 Val. M. locum affert. Agmen claudat W. B. Socr. Huius etiam haec sententia fuit: Expedita et compendiaria via est ad gloriam perveniendi, ut taliter homines agant, ut quales volunt videri, tales etiam sint actus, qui fiunt ab eis. || 14 *Demenander*] Fortasse *De *** Menander*. || I, 13 = Par. 59. P. Syr. 463 Or. (521 Zell); V. B. sp. h. 3, 58 (de dictis moralibus Socratis) et sp. d. 4, 51 Negat .... petit. W. B. Socr. om. *ipse*. || I, 15. Cfr. P. Syr. 195 Or. (123 Zell): ‚Etiam celeritas in desiderio mora est.' Sed nostro plane geminus est v. 188 Or. ‚Est cupiditati et ipsa tarda celeritas,' vel ut Zellius edidit v. 215: Est ipsa tarda cupiditati celeritas. || I, 16 = Par. 60. P. Syr. 15 Or. (19 Zell): Alterius damnum gaudium haud facias tuum. Id. v. 400 Or. Malum alienum ne feceris tuum gaudium; Zell v. 449: Malum ne alienum gaudium facias tuum. Cum Mon. conspirat V. B. sp. h. 3, 58 (de dictis Socratis) et sp. d. 4, 130 (Socr.); item W. B. Socr. || I, 17 = Par. 67. P. Syr. 161 Or. ‚Damnum .... venit,' quem versum consulto omisit Bothius in editione sua ut spurium. V. B. sp. h. 3, 58 et W. B. Socr. Damnum .... venit. || 84. b. 1 *Heraclitus dixit*] Haec verba ad antecedens dictum referenda esse puto, cum sequens testibus V. B.; W. B. et Par. Socrati sit tribuendum. || I, 20 = Par. 72. V. B. sp. d. 5, 1. Socr. Nulli .... possis. W. B. Socr. *impones* et *potes*. || I, 21 = Par. 73. V. B. sp. d. 5, 1. Socr. Hoc .... exhiberi. W. B. Socr. *velis* pro optaveris. Cfr. infra 86. b. 20. || 4 *Praesentibus*] corruptum fuisse videtur librarii oculo ad sequentis versus principium aberrante: fort. *Maerentibus*. || I, 24 = Par. 75, ubi *malis* omissum est. Et erit fortasse, qui *Exhibe tolerantiam malis* iungenda esse censeat. W. B. Socr. Malis l. q. g. sit, f. q. e. || I, 25 = Par. 76. V. B sp. d. 4, 167. Socr. ‚Praesentem laudare minime decet.' Plenius W. B. Socr. ‚Praesentem laudare et absentis minime famam laedere decet.' Obiter emendandus occurrit Georgides in spicilegio Romano (Ang. Mai auct. class. VI. p. 612): *Πολλυου. Παρόντα*

26. Morbum et pauperiem celare noli. [tearis.
27. Melius prius facere quod convenit, quam mali facti peni-
28. Poenam a quo merueris frustra petis praesidium.
29. Ab alio expecta, alteri quod feceris.
30. Victoria sine adversario brevis est laus.
31. II. De sapientia. Oculos et aures vulgi malos testes esse. *De sapientia Socrates dixit.*
1. Sapientis est, ne quem in casum incidat, cavere et si quid forte acci-
2. Fortis non potest iudicari, nisi et sapiens fuerit. [derit fortiter ferre.
Virtus enim sine sapientia periculosa est temeritas imputanda.
3. Cum illi quidam diceret, homines te con- *ARISTIPPVS DIXIT.*
tempnunt, Et illos asini, inquit; sed nec illi asinos, nec ego illos curo.
III. De doctrina. 1. Debere homines viaticum senec- *De doctrina Pythagoras dixit.*
2. tuti litterarum eruditionem parare. *Bias Prieneus dixit:*
3. Discendo non defeceris. *Plato dixit:* [tas esse.
Litteras insipienti animo tanquam baculum infirmo corpori reper-
4. *Salon dixit:* Eundem debere finem discendi quem vivendi esse.

Discrepantia Codicis Monacensis: 84. b. 16 f, pro *sed* || 18 *priennius* ||

μήτε ψέγε μήτε ἐπαίνει. τὸ μὲν γὰρ ἔχθραν φέρει, τὸ δὲ κολακείαν. Scrib. *Πολυαίνου* coll. Ant. et Max. *λογ. περὶ ἐπαίνου* (51) pag. 77 Fabri, ubi tamen *παρόντων μὲν μήτε* legitur. || 7 *penitearis*] Scribendum videtur *te poeniteat*, vel *poenitere*. Cfr. 85. b. 15. || I, 28. W. B. Socr. Poenam . . . . petis auxilium vel praesidium. || I, 29. P. Syr. 2 Or. et W. B. Socrates: Ab alio exspectes, (Zell 2: Ab altero exspecta) alteri quod feceris. Sen. epist. 94, 43: Quis autem negaverit feriri quibusdam praeceptis efficaciter etiam imperitissimos? velut his brevissimis vocibus, sed multum habentibus ponderis: . . . . Ab alio exspectes, alteri quod feceris. V. B. sp. d. 4, 132: ‚Ex proverbiis Sapientum. Ab . . . . feceris.' Id. sp. d. 4, 67 *exspectes* et *quod alteri feceris.* || I, 30. W. B. Socr. Victoria . . . . laus. || I, 31. W. B Socr. O. et a. v. puta m. t. esse. || II, 1. W. B. Socr. ‚Sapientis est ne quid incidat . . . . ferre.' Similis est Pittaci sententia apud Diog. L. I. 4, 78, quam W. B. et in Pittaco et in Diogene exhibet. || II, 2. W. B. Socr. F. n. p. quis iud. nisi etiam s. f. V. e. s. s. temeritas periculosa putanda est. Cfr. Cic. Tusc. III. 7, 14: At nemo sapiens, nisi fortis. || II, 3. Diog. L. VI. 2, 58: (*Διογένης*) *πρὸς τὸν εἰπόντα, Οἱ πλεῖους σοῦ καταγελῶσι, Κἀκείνων τυχόν, εἶπεν, οἱ ὄνοι· ἀλλ' οὔτ' ἐκεῖνοι τῶν ὄνων ἐπιστρέφονται, οὔτε ἐγὼ ἐκείνων.* W. B. Aristipp. Cuidam diceuti sibi, homines . . . . curo. || III, 1. Diog. L. I. 5, 88 de Biante: *Ἐφόδιον ἀπὸ νεότητος εἰς γῆρας ἀναλάμβανε σοφίαν.* Id. V. 1, 21 de Aristotele: *Κάλλιστον ἐφόδιον τῷ γήρᾳ τὴν παιδείαν ἔλεγε.* W. B. Aristot. Debent homines . . . . parare. || III, 2. W. B. Plato: Disce igitur, ne deficias. Cfr. ad III, 4. || III, 3. W. B. Plato: Litterae enim . . . . repertae sunt. Cfr. ad III, 4. || III, 4. Cic. de senect. 8, 26 et 14, 50. Val. Max. VIII. 7, ext 14. Plut. Sol. 31. Schol. ad Soph. Antig. 711. W. B. Plato: Idem dicebat, Eundem fac finem discendi quem et vivendi. Disce igitur ne deficias. Litterae enim ins. . . . . repertae sunt. || 21 *Salon*] De hac scriptura vel in antiquissimis libris obvia vide interpr. ad Pers. sat. 3, v. 79. Equidem librarios *Solonem* et *Salomonem*, utrumque ob sapienter dicta celebratissimum confudisse putaverim. Cfr. 88. a. 15.

5. *Democrates* cum interrogaretur, quid inter homines pecoraque
6. distaret, Sapienter sentire, respondit. *SOCRATES DIXIT:*
IV. De fide. 1. Si nihil discis, dediscis. *De fide Socrates dixit:* 85. a.
2. Viri boni est, et non pollicitam fidem servare. *Cato senex dixit,*
Maximum maioribus nostris telum fidem fuisse, ex quo plures pa-
ce susceptae, quam bello gentes fuerint devictae.
3. V. De patientia. Nocens fit, ubi succumbit fides. *De patientia Socrates dixit.*
1. 2. Patientia miseriarum portus est. *Diogenes dixit:*
Ad emendationem sui unumquemque nostrum habere debere aut
VI. De innocentia. valde amicum aut valde inimicum. *De innocentia Plato dixit:*
Triumphum innocentiae solum esse non peccare ubi liceat posse.
VII. De ira. 1. *De ira Pythagoras dixit* iracundo cuidam: quo minus presse-
ris iram, hoc ab ira magis premeris; tunc enim nos incipimus
nobis irasci, cum aliis desinamus; finem namque irae initium esse
2. poenitentiae. Liber non est, quem superbus inflammat animus.
3. Iracundus cum irasci desierit, tunc irascitur *Socrates dixit.*
4. VIII. De timore. sibi. Respicere nil consuevit iracundia. *De timore De-*
1. Cum timidis etiam somnia bellum gerere. *mogenes dixit.*
2. Desiderio melius vitam quam timore custodiri. *Aristoteles dixit.*
Eum enim, qui timore turpi vitae prospiciat, plus magis vita
3. quam morte torqueri. *Socrates dixit:* [*tes dixit.*
IX. De dolore. Audendo virtus crescit, tardando timor. *De dolore Socra-*
X. De invidia. 1. Dolore vincitur, qui dolorem dolendo non patitur. *De invidia Simo-*

Discrep. Cod. Monacensis: 85. a. 6 *Diocenis* || 11 *p̄meris* || 19 *torqueris* || 20 Inter *Aud* et *endo* *i* erasum est || 21 *symonides* ||

III, 5. W. B. Interrogatus Democritus, quid inter homines et pecora distaret, ait Sapienter sentire. Cfr. ad 89. b. 2. || 85. a. Cfr. Lind. 4 et W. B. Cato: Docuit rempublicam virtutibus magis quam armis esse tuendam. || V, 2. Plut. de profect. in virtute (= Orelli opp. Graec. sent. et mor. II, 112): *Διογένης ἔλεγε τῷ σωτηρίας δεομένῳ ζητεῖν προσήκειν ἢ φίλον σπουδαῖον, ἢ διάπυρον ἐχθρόν, ὅπως ἐλεγχόμενος ἢ θεραπευόμενος ἀποφεύγῃ τὴν κακίαν.* W. B. Diogenes: Ad e. sui unusquisque n. h. debet etc. || VI, 1 = Par. 15. V. B. sp. h. 3, 79 (de dictis Platonis) et sp. d. 5, 17 (Plato): Triumphus est innocentiae non . . . . posse. Item W. B. Plato. || VII, 1. W. B. Pythagoras: Item dicebat: quo m. p. i. eo magis ab ira premeris. Tunc incipimus n. i. c. a. irasci desinamus: finis enim irae i. est p. Liber . . . . animus. || 10 *presseris*] i. e. *compresseris.* — *Premeris* Fut. || 15 *Demogenes*] *Hermogenes?* (Par. 7) *Diogenes? Demosthenes?* (89. a. 7 et 15) || 18 *plus*] delendum est. || VIII, 3. P. Syr. 63 Or. (61 Zell): Audendo . . . . timor. W. B. Socr. Aud*i*endo (ut scriptum erat pr. m. in Mon.) virtus plurimum crescit, tardando autem *et* (del.) timor. || X, 1. W. B. Simonides: Interrogatus est S. quomodo evadere valeat quis odia invidorum. Respondit: Invidos non patieris, si nihil feliciter gesseris.

nides interrogatus a quodam, quemadmodum invidos non
haberet, Si nihil, inquit, ex magnis rebus habueris aut nihil 85. b.
2. feliciter gesseris. *Socrates dixit:*
Dignos esse invidos, qui, si fieri posset, in omnibus civitatibus aures
vel oculos haberent, ut de omnium profectibus torquerentur.
3. Quanta felicium hominum gaudia sunt, tantos invidorum gemitus esse.
4. XI. De parcitate. *Idem.* Felicitas subiecta est semper invidiae. *De parcitate Epamin dixit.*
1. Cum rex Persarum magnam illi pecuniam temptans eius
animum in proditionem dirigeret, admitti legatos iussit, cum
forte olivas et caseum comederet: admissis, Audite, inquit,
2. numquid hoc prandium proditorem facit? *Socrates*
cum hospites suos satis tenui caena suscipere pararet, et amicus eius
vituperaret, respondit: Si boni viri sunt, aequanimiter ferent;
3. si mali, non curabimus. Si res tua tibi non sufficit, tu parcendo
4. fac, rei ut sufficias tuae. *Pythagoras dixit:* [damno
Convenit parcitatem sequi in tuo, quam luxum in alieno suscipias
5. XII. De avaritia. Parcitas necessitatum remedium est et medicina damnorum. *De avaritia.*

Discrepantia Codicis Monacensis: 85. b. 7 Post *eius* duodecim fere litterae erasaesunt. || 8 *proditione* || 13 *curabunt* || 14 *pitagoras* ||

---

85. b. X, 2. V. B. sp. m. 3, 4, 1: ‚Seneca. Utinam invidi in omnibus civitatibus aures *et* oculos hab. ut de *omnibus* p. t.' || X, 2. 3. W. B. Socr. Felicitas semper subiecta est invidiae.... Digni autem invidi sunt, qui, si f. p. in o. c. a. *et* o. h. ut de *omnibus* p. t. Quanta enim felicium hominum sunt gaudia, tanti invidorum gemitus. || X, 4. V. B. sp. h. 3, 58 et sp. d. 5, 75: Socr. F. semper s. est *adversis*. W. B. Socr. F. semper s. e. l. sola ergo miseria invidia caret. || XI, 1. Cfr. Nep. Epam. 4. Plut. Lyc. 13: *Ὅπερ γὰρ ὕστερον Ἐπαμινώνδαν εἰπεῖν λέγουσιν ἐπὶ τῆς ἑαυτοῦ τραπέζης, ὡς τὸ τοιοῦτον ἄριστον οὐ χωρεῖ προδοσίαν, τοῦτο πρῶτος ἐνόησε Λυκοῦργος*, κ. τ. λ. Eiusd. apophth. reg et imperat. s. v. Epamin. 14. Aeliani var. hist. 5, 5. Uberius rem enarrat Stob. floril. 5, 48. W. B. s. v. Epimenides: Cum rex P. magnam illi pecuniam t. e. a. de proditionibus dirigeret, a. l. iubet. Audite, inquit, hoc prandium proditiones facit. (?) Idem aiebat, pecuniam avaro supplicium, liberali decus, periculum proditori. || 9 *Audite*] *Videte? Dicite?* || XI, 2. Diog. L. 2, 5, 34 de Socrate: *Καλέσας ἐπὶ δεῖπνον πλουσίους, καὶ τῆς Ξανθίππης αἰδουμένης ἔφη, Θάρρει· εἰ μὲν γὰρ εἶεν μέτριοι, συμπεριενεχθεῖεν ἄν· εἰ δὲ φαῦλοι, ἡμῖν αὐτῶν οὐδὲν μελήσει.* Ant. et Max. sent. p. 46 Fab. *Ξανθίππης Σωκράτει τῷ ἀνδρὶ ἐπιτιμώσης, διότι λιτῶς παρεσκευάζετο ὑποδέξασθαι φίλους, εἶπεν· εἰ μὲν ἡμέτεροι* (D. L. *μέτριοι*) *εἰσίν, οὐδὲν ἐκείνοις μελήσει· εἰ δὲ ἀλλότριοι, ἡμῖν περὶ αὐτῶν οὐδὲν μελήσει.* W. B. Socr. Cum Socr. quosdam hospites suos . . . . eius hoc illi intimaret, ait: Si boni sunt, a. f. si mali, non est curandum. || XI, 3. W. B. Socr. Interrogatus a quodam inope, quid agere debeat pauca habens et multis indigens, ait: Si . . . . tu parce vivendo fac, ut rei tuae ipse sufficias. || XI, 4. 5. W. B. Democritus. Huius hae fuerunt sententiae: Convenientius est, ut parcitatem serves in tuo . . . . dampno. Parcitas necessitatis remedium est et medicina multorum dampnorum.

1. Pecunia avaro supplicium est, profuso decus, parricidium proditori.
2. Tiberius Coruncanius avidissimum quemque egestosissimum dicebat.
3. Avaros homines pupillos brevis aetatis esse; nihil *Pythagoras dixit*
4. enim de suo uti licere. *Idem avaro cuidam locupleti dixit:* Stulte, divitiae tuae in te pereunt, paupertatique tibi sunt similes, cum in his esuris, sitis, alges.
5. Theocritus obiurgatus a quibusdam, quod multum cum luxuriosis mo- 86. a. raretur, respondit, aegris medicum magis necessarium quam sanis esse.
6. Avarus egens damnum, et si non lucretur, patitur. *Socrates dixit*
7. Nihil amittit, qui nihil habet.
8. Minimum eget mortalis, qui minimum cupit.

XIII. (De fortuna.) 1. Hieremias cum senem nudum videret, interrogavit eum, utrum tunicam an verecundiam non haberet: ille respondit, fortunam.
2. Quae fortuna concesserit, temperet iustitia: *Socrates dixit.* Quod iustitia invenerit, temperet patientia.
3. Si enim fortunae auxeris licentiam, minuis gloriam. *Chilo Lace-* Fortuna, ut medicus ignarus, multos caecat. *daemonius dixit.*

XIV. (De beneficiis.) 1. Plus gaude datis beneficiis, quam acceptis.

Discrepantia Codicis Monacensis: 18 *coruscanus* || 21 *Stultae* || 86. a. 1 *Teocratus* || 2 *egris* || 3 & *siñ* || 5 *quo* || 9 *pacientia* || 10 *minuit* || *lacedemonius* ||

XII, 1. W. B. in Epimenide: Aiebat . . . . proditori. Cfr. ad XI, 1. I. Sar. Pol. 8, 15 fin. Unde Diaspenis: (Bias Prieneus?) pecunia profuso decus, avaro supplicium est. || 17 *decus*] Emendares fortasse *dedecus*, nisi W. B. *liberalem* substitueret pro *profuso*. || XII, 3. Publ. Syr. 597 Or. (688 Zell): Pupillus hominis avidi est aetatis brevis. Grut. in comment: ‚Est autem in frgm. (sic!) Frising: Homines avaros pupillos aetatis esse brevis.' W. B. Pythag. Avari homines pusillis brevis aetatis similes sunt, quibus de suo nihil uti licet. || XII, 4. W. B. Pythag.: Cuidam avaro homini dixit Pythagoras: O quam stulte . . . . cum in hiis (iis?) esurias, sitias et algeas. Idem *tibi* om. || 21 *Stulte*] pro Vocativo accipe ut 88. a. 20. || 22 *esuris, sitis, alges*] Sen. epist. 4, 10: Lex autem illa naturae scis quos nobis terminos statuat? non esurire, non sitire, non algere. Id. epist. 119, 7: At parum habet, qui tantum non alget, non esurit, non sitit. || 86. a. 1 *Theocritus*] Intellige Theocritum Chium infra quoque 88. a. 18 commemoratum; *Theophrastum* cum luxuriosis saepe versatum esse parum probabile est. Simile est Antisthenis dictum ap. Diog. L. 6, 1, 6: *Ὀνειδιζόμενός ποτε ἐπὶ τῷ πονηροῖς συγγενέσθαι, Καὶ οἱ ἰατροί, φησί, μετὰ τῶν νοσούντων εἰσίν, ἀλλ᾽ οὐ πυρέττουσιν.* || XII, 6. 7. 8. W. B. Socrates. Nihil amittit, q. n. h. et parum eget, qui parum cupit. Avarus autem dampnum, si non lucretur, patitur. Cfr. Pseudosen. de mor. 46: Quis plurimum habet? qui minimum cupit. || 3 *et si non*] Recte W. B. *si non*. Avarus enim, nisi lucrando et usuris divitias suas adauget, se damnum pati putat. Cfr. eiusdem Socratis dictum M 3, 6: Si nihil discis, dediscis. || 6 *Hieremias*] Dubito de integritate scripturae. || XIII, 2. 3. W. B. Socr. Quae conc. f. . . . . temperet moderantia. Si f. a. l. minues gloriam. || XIII, 4. W. B. Chilo. Interrogatus quid est fortuna, ait: Ignarus medicus; multos enim excaecat. || XIV, 1. W. B. Gaude plus etc. sed *gloriae* pro *felicitatis*.

Illa enim felicitatis, haec necessitatis videtur esse substantia.

2. *Diogenes* cum quandam statuam panem posceret, et hoc circumstantes mirarentur, Condisco, inquit, repulsam ferre.

3. *Hermogenes Rhodius* cum beneficium quemlibet peteret, in principio orationis solitus dicere fertur: [dicem? Quid eligitis, utrum concedendo hominem an negando statuam iu-

4. *Epaminondas dixit:* Diem perisse, hoc est nihil praestitisse.

5. Celeritas beneficium gratius facit. *Socrates dixit.*

XV. De amicitia. Diu deliberando amicos elige, *De amicitia Bias Prieneus dixit.*

1. et de electis qui fideles esse potuerunt, iudica. Eosque uno affec-

2. tu, non uno habeas merito. Amicos sequere quos non pudeat elegisse. 86.b.

3. Amici vitam tuam imputa famam. Amici famam tuam imputa gloriam. *Xistus dixit*

4. 5. Nihil est, quod non toleret, qui perfecte diligit. *MENEFRANES* cum illi quidam diceret, ille illius amicus est, Cur, inquit, illo divite ille pauper est? Amicus non est, qui fortunae particeps non est.

Discrepantia Codicis Monacensis: 17 *solitum* || 18 *elegitis* || 86. b. 1 *eligisse* ||

XIV, 2. Plut. *περὶ δυσωπίας. Διογένης μὲν οὖν τοὺς ἀνδριάντας ᾔτει περιιὼν ἐν Κεραμεικῷ, καὶ πρὸς τοὺς θαυμάζοντας ἔλεγεν, ἀποτυγχάνειν μελετᾶν.* Diog. L. 6, 2, 49: *Ἤιτει ποτὲ* (scil. Diogenes) *ἀνδριάντα· ἐρωτηθεὶς δέ, διὰ τί τοῦτο ποιεῖ, Μελετῶ, εἶπεν, ἀποτυγχάνειν.* W. B. Diogenes. Fertur de Diogene, quod cum quendam inopem rogaret et *parum* ab eo peteret et circumstantes de hoc mirarentur, ait: Hoc ideo facio, quia condisco ferre repulsam. || 18 *eligitis*] Scrib. esse *eligis* recte monuit C. L. Roth. || *Concedendo*] i. e. si tu mihi concesseris, si tu mihi quid dederis; *negando*, si mihi negaveris. || XIV, 4. Cfr. I. Sar. Pol. 3, 14, 41. W. B. Bias: ‚Diem perisse hoc est praeterisse,' vel ut in aliis editionibus legitur, ‚Diem perisse est sine bono opere praeterisse.' || XIV, 5. W. B. Bias: ‚C. b. g. f.' Malim tamen Socratem huius dicti esse auctorem, quem et aliunde accepimus idem commendasse. Sic in cod. Par. lat. 5030, fol. 77 verso inter dicta sapientum hi versus leguntur: Socrates. Qui dat prius quám petatur, Eius donum dúplicatur; Sátis videtur pétere, Qui se dicit égere. || XV, 1. W. B. Bias. Diu deliberatos amicos elige eosque uno .... merito. || 86. b. XV, 2. W. B. Socr. Amicos .... elegisse. || XV, 3. W. B. Bias: A. v. t. reputa gloriam. || 2 *Xistus*] Intelligo Sextium philosophum Pythagoricum, Tiberii fere aequalem, qui aliis dicitur Sixtus vel Xistus. Eius sententias a Ruffino in latinum sermonem versas ediderunt Th. Gale in opusc. mythol. phys. et eth. pag. 645—656 et I. C. Orellius in opusc. Graec. vet. sentent. vol. I. pag. 244—268. Inter quas quamvis neque tertia nostra de amici vita ac fama neque quarta de perfecte diligendo reperiatur, quartam tamen Xisto tribuendam esse censeo, propterea quod W. B. tertiam Biantis esse scribit. || XV, 5. P. Syr. 827 Or. (976 Zell): Minime amicus sum, fortunae particeps nisi sim tuae. W. B. Demosthenes: Cum quidam Demostheni diceret de quodam paupere, Ille illius amicus est: Quare ergo, inquit Demosthenes, illo existente divite ille alius pauper est? A. n. est, q. p. f. n. e. || 3 *Menefranes*] corruptum est. Cfr. Par. 6. *Menophanes* coni. C. L. Roth.

6. *Aristoteles dixit* Difficile esse in re prospera amicos probare,
7. in adversa semper facile. *THEOPHRASTVS DIXIT:*
Expedire iam probatos amicos amari, quam amatos probari.
8. Quanti est sine anima corpus, tanti est *Pythagoras dixit.*
9. 10. sine amicis homo. Amicitias immortales esse oportet. Cum
11. amicis rationes breves, amicitias longas esse oportet. Ita
12. amicus esto, ut inimicus esse non timeas. Amicum blandum cave,
13. cuius amarum est semper, quod fuerit dulce. Principium amicitiae est
14. bene loqui. Fortunato amico vocatus, infortunato in-
15. 16. vocatus praesto [esto]. Bonus amicus laesus gravius irascitur. Nun-
quam fidelem tibi, quem ex amico inimicum habueris: et si in
gratiam reverti quaesierit, ne credas illi: captatus enim uti-
litate, non amica revertitur voluntate, ut fingendo decipiat,
17. quem non potuit persequendo. Amicum laedere ne ioco quidem
18. 19. oportet. Amico ea exhibere decet, quae tibi velis. Amico
fides coagulum est amicitiae, sapientia firmamentum, contentio
discidium; perfidia, nodosa materies, suis in damnum crescit
20. augmentis. *De amico et inimico Socrates dixit:* 87. a.
XVI. De homine foedo. Pro amico occidi expedit, quam cum inimico vivere. *De homi-
ne foedo Diogenes.* Cum illi domum suam homo formae

Discrep. Cod. Monac.: 7 *THEOFRATUS* || 9 *Pytagoras* || 15 *esto* om. || 19 *ledere* || **87. a.**

XV, 6. W. B. Aristot. Difficile est, . . . facile. || XV, 7 = Par. 26. V. sp. h. 5, 2 et sp. d. 6, 14: ‚Theophr. Expedit, iam p. a. amare, non (scrib. *quam*)a. probare,' totidemque verbis W. B. Theophr. nisi quod *iam* pro *tam* est corrigendum. || XV, 8. W. B. Theophr. Quanti . . . . homo. || XV, 10 = Par. 56. W. B. Theophr. C. a. *orationes* . . . . oportet. Id. Socr. C. a. or. b. l. a. *habere* oportet. V. B. sp. h. 3, 58: Socr. C. a. b. or. a. l. op. habere. Id. sp. d. 6, 14: Socr. C. a. b. rat. a. l. habere o. || XV, 11. W. B. Theophr. Ita . . . . timeas. Cfr. P. Syr. 344: Ita crede amico, ne (Zell v. 384 *ut ne*) sit inimico locus. || XV, 12. W. B. Theophr. A. b. c. cuius verbum semper dulce. || XV, 13 = P 61. V. B. sp. d. 6, 14: Socr. P. a. b. l. exordium inimicitiarum maledicere. W. B. Socr. P. a. e. b. l. male autem dici (leg. *dicere*) inimicitiarum exordium. || XV, 14. W. B. Theophr. F. a. v. i. i. praesto sis. || XV, 15. P. Syr. 109 Or. (117 Zell): Bonus animus laesus gravius multo irascitur. V. B. sp. d. 4, 133: ex proverbiis Sapientum. B. animus l. inultus g. i. W. B. Theophr. B. amicus gr. ir. || XV, 17. P. Syr. 33 Or (33 Zell): A. l. ne i. q. licet. W. B. Theophr. A. l. *nec* i. o. q. || XV, 18. W. B. Theoph. A. exh. ea te d. q. t. exhiberi velis. Id. Aristot: Interrogatus, quid amicis offerre debemus, ait: Quae nobis optamus offerri. Cfr. Mon. I, 20. || XV, 19. P. Syr. 28 Or. Amicitiae coagulum unicum est fides. Zell 31 transpositis verbis: A. u. est f. c. W. B. Theophr. Amici f. c. e. a. || **87. a.** XV. 20. W. B. Theophr. Pro . . . . vivere. || XVI, 1. Diog. L. 6, 2, 32: *Εἰσαγαγόντος τινὸς αὐτὸν εἰς οἶκον πολυτελῆ καὶ κωλύοντος πτύσαι, ἐπειδὴ ἐχρέμψατο, εἰς τὴν ὄψιν αὐτοῦ ἔπτυσεν, εἰπὼν χείρονα τόπον μὴ εὑρηκέναι. Οἱ δὲ τοῦτο Ἀριστίππου φασίν.* Cf. 2, 8, 75. Galen. in

turpis sculptam ostenderet, omnibus in ea locis lapidibus
et auro nitentibus, in faciem domini expuit, dixitque se aliud
XVII. De mulieribus. vilius in illa domo non respexisse. *De mulieribus*
1. *Zenon*, cum filiorum causa uxorem ducendam ei amici suasissent,
domus suae cameram tesselari praecepit; et cum ab eo amici
quaesissent, cur non magis solvi iuberet, Uxor huc intro-
ducenda est, inquit, quae cum domum converterit, in tes-
selato ambulabit.
2. Nulla tam bona est uxor, in qua non invenias quod queraris. *Idem*
3. 3. b. Animo virum pudica, non oculis eligit: pudica spem quaerit, non rem.
4. 5. Mulier speciosa templum est aedificatum super cloacam. *Pythagoras dix.*
Duo genera habent in oculis feminarum lacrimae; certi dolo-
XVII, b. De regenda domo. ris unum, insidiarum aliud. *De regenda domo Socrates*
cum quidam ex eius doctrina bene meriti discipuli recederent
rogantes eum, ut aliquod praeceptum ordinandae ex eo perciperent
vitae, in suum eos deversorium secum venire fecit, venientibusque
Xanthippen uxorem suam in superioribus constitutam voca-
vit iussitque vasa, melle vel oleo plena quae essent, ceteraque
desuper ut eiecisset. Quod cum illa parens praecepto confestim fa-
ceret, admirantibus discipulis ait: Si hanc in domibus vestris re- **87. b.**
XVIII. De obedientia. rum potestatem habueritis, beatam vitam disponetis. *De obedientia.*
XIX. De barba. 1. Parere scire cum imperante aequalis est gloria. *De barba Lysander*

DISCREPANTIA COD. MONACENSIS: 14 *pitagoras* || 19 *diversorium* || 20 *exantipen* || **87. b.** 1 *ñris* = *nostris* || 3 *parcere* || *lisander* ||

Protrept. ad artes cap. 8. Ioa. Chrysost. homilia 11 in epist. Pauli ad Rom. W. B. Diog. Cum quidam homo f. t. sed dives admodum (haec desunt in Mon.) domum suam Diogeni ostendisset, o. in ea l. auro n. in f. hominis illius exspuit. Interrogatus vero, cur hoc faceret, ait: Quia nihil aliud tam vile in illa domo vidisset. || XVII, 2. P. Syr. ed. Erasm. 258: Nulla est tam bona fortuna, de qua nil possis quaeri (leg. *queri*). Or. 841, Zell 992: N. t. b. est fortuna, de q. n. p. q. V. B. sp. d. 5, 126: Ex proverbiis Sapientum. N. t. b. fortuna, qua nihil possis queri. W. B. Socr. Nulla . . . . queraris. || XVII, 3. 3, b. W. B. Animo . . . . eligit: *impudica speciem* q. non esse. || 13 *pudica spem*] scrib. *impudica speciem* cum W. B. || XVII, 4 W. B. Socr. M. sp. *et stulta* (*et pulcra* Alb. ab Eyb marg. poet.) t. e. s. c. aedificata. (Alb. ab Eyb recte *aedificatum.*) || XVII, 5. W. B. Pythag. D. l. g. sunt in o. mulierum: *veri* doloris u. i. a. Cfr. P. Syr. 436 Or. (494 Zell): Muliebris lacrima condimentum malitiae est. || XVII, b. W. B. Socr. Cum . . . . discederent . . . . vitae ab eo perciperent, iussit eos in deversorium secum venire, uxoremque in . . . . melle *et* oleo plena ut *everteret*, admirantibusque d. . . . . *vestris* . . . . disponetis. || 22 *eiecisset* — *faceret*] Dicendum erat potius *eiiceret* et *fecisset*. || **87.** b. XVIII. P. Syr. 535 Or. (616 Zell): Parere scire par imperio gloria est. || XIX, 1. Cfr. ad Lind. § 12.

interrogatus, cur maiorem barbam libenter habuisset, respondit:
2. Ut subinde eam tangendo virum me esse meminerim. Diogenes
interrogatus, cur maiorem barbam haberet, respondit: Si mulier
barbata ex alieno sexu portenti est signum, cur vir ac-
XX. De nuptiis. cusatur ex eo, cum barba naturae nomen videatur et gloriae. *De nuptiis*
Chilo Lacedaemonius dixit. Nuptias sumptuosas facere vita.
XXI. De modo pecuniae. Modus pecuniae quaerendus est qui nec *De modo pecuniae Aristippus*
XXII. De modo bonitatis. maior necessitate praesenti possit esse, nec minor. *De modo bonita-*
1. Bonitas est, quae rationem propriam ponit atque *tis Pythagoras*
2. praesumentem invat, non quae nocendo alteri auxilium praestat. Bonus
vir, si optimus est, suis se actibus probat: aliis enim non potest esse bonus,
3. qui suis in se moribus fuerit malus. *Socrates dixit:*
4. Si bene egeris, ipse tibi personae auctoritatem dabis. Viri boni
5. est nescire pati vel facere iniuriam. Auctor malus bonam
XXIII. De secretis. rem turpem facit. *De secretis Diogenes dixit:*
1. 2. Consistit verbo non prodito inaestimabile pretium. *Hermogenes dixit:*
3. Verbi non proditi inmanis mensura. *Socrates dixit:*
XXIV. De malloquio. Sepultus apud te sit semper sermo, quem solus audieris. *De ma-*
1. *liloquio ZENON DIXIT:* Malum hominem blande loquentem
2. innocentum laqueum esse. *Simonides* dicente 88. a.
quodam, multos sibi de eo loqui, Non desinis mihi, inquit, auribus tuis

Discrepantia Codicis Monacensis: 10 *querendus* || 11 *Demobonitatis pytagoras* || 19 *consilit* || 88. a. 2 *de eo male loqui* man. rec. ||

XIX, 2. Cfr. Athen. XIII. p. 565 Cas. *Διογένης ἰδὼν τινα ἐξυρημένον τὸ γένειον ἔφησεν· Μή τι ἔχεις ἐγκαλεῖν τῇ φύσει, ὅτι ἄνδρα σε ἐποίησε καὶ οὐ γυναῖκα;* || 7 *alieno*] scrib. *altero.* || XX. W. B. Chilo: Nuptias humiles facere. Stob. floril. 3, 79, *γ*: *Χίλων Λακεδαιμόνιος ἔφη·* .... *Γάμους εὐτελεῖς ποιοῦ.* || XXI. Cf. Par. 53. || XXII, 2. W. B. Pythag. Vir si o. est, suis se *aspectibus* probat; aliis .... malus. || XXII, 3. V. B. sp. m. 3, 5, 2: Socrates. Si viriliter agis, p. tibi (*tuae?*) a. d. V. B. sp. d. 5, 1: Socr. Si bene .... dabis. W. B. Socr. ‚Si bene .... dabis,' ibidemque ‚Si b. e. tibi auxilium dabis.' || XXII, 4 = Par. 12. P. Syr. 775 Or. (922 Zell): V. b. e. nescire facere i. V. B. l. l.: ‚V. b. e. nescire vel pati iniuriam; pati dicit in patiendo frangi ab iniuria.' Lectionem unice veram *nescire vel pati vel facere i.* servaverunt V. B. sp. h. 3, 82 (de Aristotele et dictis eius); sp. d. 4, 83 (Aristot.) et W. B. Aristot. Idem tamen s. v. Socr. V. b. e. *scire facere* i. || XXII, 5. W. B. Socr. Actor m. .... facit. || XXIII, 3 = Par. 77. V. B. sp. d. 4, 92 et 4, 170; sp. h. 3, 58 et W. B. Socr. *Sepultus .... audieris* Socrati tribuunt; idem vero W. B. s. v. Zeno haec habet: Huius sunt istae sententiae. S. a. te sit s. q. tu s. a. || XXIV, 1. W. B. Zeno: M. h. b. l. agnosce tuum l. e. Cf. Diog. L. 6, 2, 51: *Τὸν πρὸς χάριν λόγον ἔφη* (scil. *Διογένης*) *μελιτίνην ἀγχόνην εἶναι.*

3. maledicere? *Diogenes* cum quidam ei perferret aliqua maledicta
ab amico eius de eodem dicta, An haec amicus dixerit, dubium est,
XXV. De spe. 1. inquit: id quidem mihi de te manifestum est. *De spe Pythagoras*
Spe bonorum quicquid indignitatis imponitur, ferre convenit. *dixit.*
2. Remedium malorum futura spes est; nec innocentem de- *Salon*
bilitat conscientiam causa, cui in adversis solatium est, non sua
3. meruisse, quae patitur, culpa. *Pythagoras dixit:*
Fortuna innocentem deserit saepe, at bona spes numquam.
XXVI. De taciturnitate. 1. *De taciturnitate Xenocrates, cum* inter malos taceret, interrogatus, cur hoc faceret, respondit: Quia locutum me aliquando
2. penituit, tacuisse numquam. *Diogenes dixit:*
3. Sapienti expedit tacere pro se, quam loqui contra se. Neminem
4. tacendo, multos loquendo circumventos. *Salon* cum aliis
loquentibus taceret, interrogatus a Periandro, utrum propter inopiam
verborum, an quod stultus esset, taceret, respondit: Nemo stultus
5. tacere potest. *Theocritus* in convivio rustico tacenti: Ex

Discrepantia Cod. Monacensis: 5 *pitagoras* || 9 *Pytagoras* || 10 *sepe* || 15 *lequendo* || 16 *perandro* ||

88. a. XXIV, 3. W. B. Diog. C. q. ei *re*ferret, quod quidam amicus eius contra eum maledicta dixisset, ait: An amicus meus ista dixerit, d. est; de te autem quod hoc dixeris, (hinc suppl. Mon.) mihi manifestum est. || XXV, 2. 3. W. B. Simonides: R. m. f. spes est. I. non d. conscientia. In adv. s. est hominis, non mer. quae patitur. Fort. i. d. s. b. sp. n. || XXVI, 1 = Par. 4. Val. Max. 7, 2, ext. 6: Quid, Xenocratis responsum quam laudabile! Cum maledico quorundam sermoni summo silentio interesset, uno ex his quaerente, cur solus linguam suam cohiberet: Quia dixisse me, inquit, aliquando paenituit, tacuisse numquam. V. B. sp. m. 3, 1, 4: Xen. philosophus cum inter multos (leg. *malos*) t. . . . . quia me l. esse p. t. n. Id. sp. h. 4, 14: ‚Idem (scil. Xenocr.) cum quibusdam detractoribus interesset et taceret, quaerente uno, cur solus taceret: Quia dixisse me, inquit, a. p. t. n.' iisdemque fere verbis W. B. Xenocr. I. c. esset cum q. detr. . . . . tac. vero n. Stob. floril. 33, 12 et Plut. de tuenda sanitate praecepto 7 Simonidi hoc dictum tribuunt. || XXVI, 3. W. B. Simonides: Huius feruntur hae sententiae. Tutius est tacere quam loqui; neminem enim t. m. autem l. c. agnovimus. (*cognovimus?*) || XXVI, 4 = Lind. 11. Adde V. B. sp. m. 3, 1, 4: Item Socrates (?) inter alios philosophos tacens interrogatus comparando (leg. *a Periandro*) utrum hoc faceret ex inopia an ex stultitia, ait: N. st. t. p. Stob. floril. 34, 15: *Σόλων ἐρωτηθεὶς ὑπὸ Περιάνδρου παρὰ πότον, ἐπεὶ σιωπῶν ἐτύγχανε, πότερα διὰ λόγων σπάνιν ἢ διὰ μωρίαν σιωπᾷ· Ἀλλ' οὐδεὶς ἄν, εἶπε, μωρὸς ἐν συμποσίῳ σιωπᾶν δύναιτο.* Cfr. Plut. de garrul. p. 503: *Βίας ἔν τινι πότῳ σιωπῶν καὶ σκωπτόμενος εἰς ἀβελτερίαν ὑπό τινος ἀδολέσχου, Καὶ τίς ἄν, ἔφη, δύναιτο μωρὸς ὢν ἐν οἴνῳ σιωπᾶν;* || XXVI, 5. V. B. sp. m. 3, 1, 4: *Theotistus* (*Theoctistus?* Stob. flor. vol. III. p. 407 edit. Tauchn.) philosophus r. t. in c. dixit: Ex d. h. s. h. quod taces. W. B. *Democritus:* In c. t. r. inquit: Ex d. h. s. h. || 18 *Theocritus*] Intellige Chium, cuius simile exstat dictum Anton. et Max. Sentent. p. 208 Fab. *Θεόκριτος ὁ Χῖος ἀφυοῦς ποιητοῦ ἀκρόασιν ποιουμένου ἐρωτώμενος ὑπ' αὐτοῦ, ποῖά ἐστι τὰ καλῶς εἰρημένα ἔφη· ἃ παρέλιπες.*

6. doctis, inquit, hoc solum habes. *Idem* dicebat veritatem brevem esse,
XXVII. (De loquacitate.) 1. mendacium longum. *Xenocrates* loquaci cuidam, Stulte, inquit,
audi melius: os unum a natura, aures duas accepimus.
2. *Antisthenes dixit:* Inscitiae esse multa dicere, et qui hoc faceret,
3. quid esset satis, nescire. *Socrates* Cleonam garrulum dis- 88. b.
cere volentem sapientiae praecepta duas mercedes poposcit;
4. unam, ut tacere, alteram, ut loqui disceret. *Cicero*
cum ei Damasippa garrulus homo dixisset, aprum a se esse inter-
fectum, quaesivit, utrum eum venabulo an verbis confecerit.
5. *ZENO* uxori et viro garrulis Cum duo, inquit, soli estis, quem-
6. admodum vos loquentes auditis? *Idem* in eum, qui multo
sermone negotium contereret, Si nostris, inquit, te auribus
XXVIII. De consiliis. 1. audires, taceres. *De consiliis.*
2. Quod diu tractaveris, id puta rectissimum. Recta consilia ca-
pere possumus, si, quae nos laedere potuerunt, agnoscamus.
3. Si sollicitus fueris, iudicium praevenies alienum.
4. Omnia consuli, sed non ab omnibus debere.
5. XXIX. De occasione. Duo maxime contraria esse consilio, festinationem et iram. *De occa-*
1. Occasionem gubernaculum mentis esse, si in bono utaris, *sione.*
2. si in malo, caliginem. Occasionem non accipi, sed
XXX. De cautela. 1. rapi oportere, si rationem, non eventum applices causae. *De*

Discrepantia Codicis Monacensis: 22 *Antistenes* || 88. b. 3 *taceret* || 8 *conterreret* || 11 *ledere* || 16 1, pro *sed* ut 84, b, 16 ||

XXVI, 6. Cfr. Sen. epist. 49, § 12: Ut ait ille tragicus (Euripides): Veritatis simplex oratio est. || XXVII, 1. W. B. Xenocr. Hic l. c. dixit: A. multum, loquere pauca. Os enim unum et a. d. a n. a. Stob. flor. 36, 19 *Ζήνωνος*. || XXVII, 2. W. B. Antisthenes: Hinc (*Huius?*) illa sententia fuit: Inscientiae est m. d. et quod satis est n. || 88. b. XXVII, 3. Stob. flor. 36, 25: *Ἰσοκράτης ὁ ῥήτωρ Καρεῶνος ὄντος λάλου, καὶ σχολάζειν αὐτῷ βουλομένου, διττοὺς ᾔτησε μισθούς. Τοῦ δὲ τὴν αἰτίαν πυθομένου, Ἕνα, ἔφη, μὲν ἵνα λαλεῖν μάθῃς· τὸν δ᾽ ἕτερον, ἵνα σιγᾶν.* W. B. Socr. Cum garrulus quidam deridendo interrogaret Socratem, ut eum doceret sapientiae praecepta: Duo, inquit, sap. praec. tibi necessaria sunt; unum, ut taceas, aliud ut loqui disceret. || 1 *Socrates*] Leg. vid. *Isocrates*. Cfr. tamen Stob. flor. 34, 10: *Αἰσχίνης ὁ Σωκρατικὸς ἐπιπλεχθείς, ὅτι Σωκράτει ἐσχολακὼς σιωπᾷ· Οὐ γὰρ μόνον, εἶπε, λέγειν ἔμαθον παρὰ Σωκράτει, ἀλλὰ καὶ σιωπᾶν.* Pro *Cleonam* restit. fort. *Cleonem* vel *Cleondam*. || 4 *Damasippa*] Leg. *Damasippus*. Cfr. Macr. Sat. 2, 3, 2. || XXVII, 5. W. B. Zeno. Hic viro et u. g. dixit: Cum vos d. s. e. *non capit vos una domus loquaces.* || XXVII, 6. V. B. sp. m. 3, 1, 4: Item Zenon philosophus cuidam loquaci ait: Si te auribus nostris audires, taceres. W. B. Zeno. Cuidam l. ait: Si *meis* te aur. audires, t. || XXVIII, 5. Cfr. ad Par. 5. || XXIX, 2 = Par. 6. || XXX, 1. Plut. apophth. Reg. et Imp. Epam. 6: *Ἑορτὴν δὲ τῆς πόλεως ἀγούσης καὶ πάντων ἐν πότοις καὶ συνουσίαις ὄντων,*

cautela Epaminondas interrogatus, cur nec festo quidem die aliis dormientibus requiesceret, dixit: Securitas militum est im-
2. perantis labor. cum Poeni rogarent, ne eis bellum indiceretur, Minus, inquit, respublica decipi potest, si ut aruspices cor rogantium potius, quam linguam inspexerimus.
3. *Scipio* Africanus quaerenti cuidam, unde sibi melior factus 89. a.
videretur in senectute, respondit: Quo cautior.

XXXI. De his qui etc. *De his qui aut proficiunt aut degenerant.*
1. Epaminondas cum illi quidam ex patricio genere factus inferior ignobilitatem generis obiecisset, Gaudeo, inquit, quod ego ex me surrexi, tu ex te cecidisti, generisque nostri uterque sumus decus et
2. dedecus. *Demosthenes* similiter, cum alius Demosthenen talibus obiurgaret, respondit: Mihi obicis profecisse; crimen meum

XXXII. De contumeliis etc. imputa gloriae, dum tuum agnoscas ignaviae. *De contumeliis ab indignis*
1. Duplicat dolorem sustinentis indignitas inferentis, intolerandumque fit malum, cuius auctorem turpe sit confi-
2. teri. Solatium mali est dignitas adversantis.
3. 4. Duplicatur dolor, cum ab eo, a quo non merueris venit. Tanto maior iniuria est, quanto affectior proximus est, qui facit.

XXXIII. De petulantia. 1. Cum quidam speciosus iuvenis Demostheni *De petulantia Demosthenes* dixisset, si me sic odissent homines tanquam te, suspendio
1, b. perissem, Et ego, inquit, si me quemadmodum te amarent. Eum enim qui corporis curam agit, et non animi, similem esse his, qui pretiosam ves-
2. tem sordido corpori induunt. *Xenocrates* cum quidam ex

Discrepantia Codicis Monacensis: 22 *corrigantium* || 89. a. 7 *Demostenes* || *demostenen* || 15 *demosteni* || *demostenes* || 16 *tanquan* ||

ἀπήντησέ τινι τῶν συνήθων αὐχμηρὸς καὶ σύννους βαδίζων· θαυμάζοντος δὲ καὶ πυνθανομένου, τί δὴ μόνος οὕτως ἔχων περίεισιν, Ὅπως, εἶπεν, ἐξῇ πᾶσιν ὑμῖν μεθύειν καὶ ῥᾳθυμεῖν. || 18 *nec*] *ne?* || **89.** a. XXXI, 1 = Lind. 5. Ceterum cfr. Nep. Epam. 2, 1: Natus igitur patre quo diximus, genere honesto, pauper iam a maioribus relictus. Plut. Ages. 19: *Ὁ Δικαίαρχος ἐπηγανάκτησεν, ὡς μήτε τὴν Ἐπαμινώνδου μητέρα γινωσκόντων ἡμῶν.* || XXXI, 2. Demosth. frgm. 64 Sauppe (Rutilius L. 2, § 9): Item Demosthenes, cum ei quidam obiecisset, matre Scytha natum, respondit: Non miraris igitur, quod Scytha matre et barbara natus tam bonus et clemens evaserit. Cfr. Plut. Demosth. 4. Liban. v. Demosth. § 2. Aeschin. *περὶ παραπρεσβ.* eum *Σκύθην* et *βάρβαρον* vocat. || XXXIII, 1. W. B. Demosth. *Dum* q. sp. i. diceret D. si me o. h. quemadmodum te, s. p. Et ego, i. si me q. te a. Cfr. Anton. Mel. p. I, ser. 60: Cum iuvenis quidam facie formosus, sed moribus petulans, inter alia convicia ei diceret, Si tam exosus essem civibus, ut tu es, laqueo vitam finirem, respondit: Ego vero laqueum mihi inferrem, si ita me cives amarent ut te. Notavit autem adolescentis petulantiam Aristoteles etc. (Vid. Apophthegm. ex probatis scriptoribus a C. Lycosthene collecta. 1609. p. 257.)

populo unguenti odore fragrasset, In quo, inquit, viro mu-
3. lier olet. *Cato* cum quendam odoribus redolentem vidisset,
Pudet me, inquit, virum te dicere falsumque me in te odore cog-
XXXIV. De his qui etc. novi. *De his qui in aliis puniunt, quod committunt.* **89. b.**
1. *D*emocrates, cum magistratus Atheniensium furem quendam ad poe-
nam raperent, Magni, inquit, fures minorem puniunt.
2. XXXV. De male dicentibus. Iniuriam inrogatam eius infamiam esse, qui facit. *De male dicentibus*
1. *A*ristippus discedens a maledicente sibi dixit: Ut tu linguae tuae,
2. sic ego mearum aurium dominus sum. *ANTISTHENES* cuidam dicen-
ti, maledixit tibi ille: Non mihi, inquit, sed illi, qui in se quod hic dicit agnoscit.
3. *Idem* dicenti cuidam, homines de te male loquuntur: Superioris
4. est, inquit, usus hoc pati personae, inferioris facere. *AVGVSTVS CAESAR*
cum descendenti illi per sacram viam quidam desperatus dixisset tyranne,
5. Si essem, inquit, non diceres. *TACIVS* in senatu Lucio Metello male-
dicenti sibi Facile est, inquit, in me dicere, quia ego responsurus non
sum. Potentia ergo tua, non mea accusanda est patientia.
6. *Xenophon* maledicenti cuidam Tu, inquit, maledicere didicis-
XXXVI. De danda mercede? ti; ego conscientia teste didici maledicta contemnere. *De dand' mer*
*M*egmas cuidam solito apud se frequenter cenare, petenti mu-
tuam pecuniam Si dedero, inquit, ecce te et pecuniam perdo.
XXXVII. De qualitate naturae. *E*paminondas cuidam, cum ei diceret, ignosce *De qualitate naturae*
mihi, quod ausus sum te homo novus petere, Nemo, inquit, homo

Discrepantia Cod. Monacensis: 20 *fraglasset* || 89. b. 2 *athenensium* || 4 *insaniam* || 6 *ANTESTENES* || 7 1, pro *sed* || 9 *CESAR* || 16 *canere* ||

---

89. b. XXXIV, 1. Cfr. quae supra pag. 6 sub fin. et 7 princ. monuimus. *Democrati* patrocinatur Stob. flor. 13, 30: *Δημοκράτης ἰδὼν κλέπτην ὑπὸ τῶν ἕνδεκα ἀπαγόμενον, Ἄθλιε, εἶπε, τί γὰρ τὰ μικρὰ ἔκλεπτες, ἀλλ' οὐ τὰ μεγάλα, ἵνα καὶ σὺ ἄλλους ἀπῆγες;* || XXXIV, 2 = Par. 11. V. B. sp h. 3, 82 et sp. d. 4, 83: ‚Aristot. Iniuria iniuste irrogata eius est infamia, qui facit.' Plane eadem verba recurrunt apud W. B. Aristot. nisi quod in meo quidem exemplari *erogata* pro *irrogata* scriptum est. Iterum W. B. Xenocrates: Iniuriam irrogatam eius dicebat esse infamiam, qui fecit, non qui pertulit. || 4 *infamiam*] V. B. et W. B. || XXXV, 1. W. B. Xenocrates: Quodam illi maledicente surgens discessit et maledicenti ait: Ut .... sum. || XXXV, 2 = S Pol. 3, 14, 6. W. B. Antisthenes: Cuidam .... in se hoc, quod dixit, agnoscit. || XXXV, 3. W. B. Antisth. Alteri dicenti, de te h. m. l. ait: Sup. est u. pers. h. p. i. hoc f. || XXXV, 4 = S Pol. 3, 14, 26. || XXXV, 5 = S Pol. 3, 14, 7. L. 15. || XXXV, 6 = S Pol. 3, 14, 8. L. 16. P 18. || XXXVI = P 19. V. B. sp. d. 6, 15: Dicit *Demas* philosophus: Amico me rogante pecuniam dum mutuo, ipsum et pec. perdo. W. B. Demas: Huius Demadis dictum illud egregium fuit, Amico mutuam me erogante, pecuniam (scrib. *amicum*) ipsum et pecuniam perdo. || 16 *Megmas*] Scrib. *Demas*, i. e. Demades.

novus est homini, cum natura commendatus est.
XXXVIII. (De religione?) 1. *Q*uaerere an deus sit, poena dignum est, quem colere magis quam discu-
2. tere convenit sapienti. Eum qui adiuratus deos
imprecatur mĩam eorum in semet oblivisci. 90. a.
3. *M*ulieribus quibusdam in templo caenantibus invitatus rogatusque, ut
pro illis precaretur, precatus est, ne contingerent eis, quae peterent, sed
quae dii utilia iudicarent. Plerumque enim contrarios votis votorum
4. eventus esse. Cuius dictum non habeat iurisiurandi
pondus, eius iusiurandum quoque vile esse.
XXXIX. (De imperio.) 1. *I*ta numquam expetendum imperium est, ut in eo timori servias.
2. *E*um qui nimis astringat imperium, nimis solvere.
3. Blandam enim et servientis et imperantis debere esse.
4. Eum firmum regem, qui, quae imperat, novit vel praeceptis quod contrarium
5. possit esse, agnoscit. *Plato dixit*, cum vidisset Dionysium
tyrannum corporis sui custodibus septum, Quid tantum mali fecis-
XL. (De re militari?) 1. ti, ut a multis custodiaris? Ducem, qui non laborat, ut
carus militibus sit, nescire militem armare.
2. *H*umanitatem ducis in exerçitu flumen adversus hostes esse.
3. *N*umquam se militibus iussisse, Ite illuc, sed Venite
huc. Participatus enim cum duce labor persuadetur militibus minor.

Discrepantia Cod. Monacensis: 21 *querere* || 90. a. 2 *çenantibus* || 4 *dii* sec. manu; *di* pr. m. || 8 *qui minus* ||

22 *adiuratus*] Malim *adiuratos*. || 90. a. 1 *mĩam*] proprie est *miseriam*, vel *misericordiam*: (cfr. Haase ad Sen. opp. vol. III. praef. pag. XV.) nostro tamen loco *memoriam* legendum esse videtur. || XXXVIII, 4. W. B. Solon: Probitatem iureiurando certiorem habe. Cuius *enim* (!) dictum non habet iusiurandi pondus, eius quoque iusiurandum vile est. Cfr. Diog. L. 1, 2, 60 (Solon): *Καλοκαγαθίαν ὅρκου πιστοτέραν ἔχε.* || 7 *expetendum*] fort. *exercendum*. || XXXIX, 3. W. B. Solon: Esse communis sermonis blanditia et servientis et blandientis (scrib. *imperantis*) debet. || 9 *Blandam*] Aut scrib. *blanditiam* cum W. B. aut excidit vocabulum quoddam, veluti *vocem, condicionem*. || XXXIX, 4 = P 36. || XXXIX, 5. I. Sar. Pol. 4, 4: Plato, ut ferunt historiae gentium, cum v. D. Siciliae t. c. sui s. c. Quod t. inquit, malum f. ut a *tam* m. necesse habeas custodiri? V. B. sp. h. 3, 79 (‚ut refert Helinandus'), sp. d. 5, 7 (‚Helinandus in chronicis'), sp. d. 7, 30, W. B. Plato *circumseptum* pro *septum;* sp. d. 5, 7 *Quod*, sp. d. 7, 30 et sp. h. *Quid*, W. B. *Cur;* V. B. *malum,* W. B. *mali*: reliqua cum I. Sar. congruunt. || XL, 1. I. Sar. Pol. 4, 3 sub fin: Iulius quoque Caesar Dux, inquit, qui n. l. ut m. c. sit, m. nescit amare (leg. *armare*). V. B. sp. d. 7, 30: Iulius Caesar dicere solitus erat, Dux, qui . . . . armare. || XL, 2. I. Sar. l. l.: ‚Nescit humanitatem . . . . esse,' omisso *flumen*. V. B. l. l. Nescit h. d. in e. *et* adv. h. debere esse. || 15 *flumen*] Malim *fulmen*. || XL, 3. I. Sar. l. l.: Idem (scil. Iul. Caesar) nunquam dixit militibus Ite huc, sed Venite. Dicebat enim, quia part. cum d. l. videtur m. m.

4. *In* bello corpora hominum gladiis, in pace
XLI. De malis filiis. voluptatibus vulnerari. *De malis filiis*
1. *Gaius* interrogatus, cum plures filios habuisset, quis ex his in se nequior esset, Qui primus tibi fuerit obvius, inquit.
2. 3. Ipse te coerce, pater. *Bocchoris* iussit filium cuiusdam denegantem se posse matrem alere decem mensibus eam ferre 90. b.
4. nec deponere. *Qui* non corripit peccantem,
XLII. De pigro. peccare imperat. *De pigro* *Zeno* Citieus cuidam inerti Indignareris, inquit, si aliquis optaret, ut mutilas manus vel pedes
XLIII. De temperantia. habuisses: nunc integra sunt; cur uti eis non vis? *De temperantia*
1. *Agesilaus* interrogatus, quemadmodum quis hominibus placere posset, Si gesserit, inquit, optima et locutus fuerit pauca.
2. *Socrates* inquirenti cuidam, quomodo posset optime dicere, respondit: Nihil dixeris, nisi quod bene scieris.
3. *Demades* non scolam, sed assiduitatem legendi doctrinam vocabat.
4. *Phocion* optimum oratorem esse dicebat, qui plurima paucis diceret.
5. *Erasistratus* medicus cum ad dormientem aegrum intrare noluis-
XLIV. De disciplina. set, Meliorem, inquit, intus medicum audio. *De disciplina* *Antigonus* Alexandri paedagogus citharam eius fregit abiecitque dicens: Aetati tuae iam regnare convenit, pudeatque in corpore
XLIV. b. De censura. regni voluptatem luxuriae dominari. *De censura* *Pyrrus* rex cum citharoedus in convivio molliter cantaret,

Discrepantia Codicis Monacensis: 22 *Boccurus* || 90. b. 3 *citheus* || 4 *ut inutiles* || 11 *Phochion* || 12 *Herasistratus* || 14 *pedagogus cytharam* || 17 *cytharedus* ||

XL, 4. I. Sar. l. l.: ‚Praeterea voluptas corporis eodem auctore vitanda est. Aiebat enim in bello .... vulnerari.' Quae sequuntur ‚Senserat enim gentium triumphator, voluptatem nullo modo tam facile superari quam fuga etc.' ab Ioa. Sar. addita esse videntur. || XLI, 2 = P 57. W. B. Socr. ‚Iratus filio ipse te coerce.' Nunc iam nostram sententiam ad caput, quod est de malis filiis, pertinuisse intelligitur. || 22 *Bocchoris*] scripsi coll. Diod. Sic. 1, 65: *Μετὰ δὲ τοὺς προειρημένους βασιλεῖς διεδέξατο τὴν ἀρχὴν Βόκχορις, τῷ μὲν σώματι παντελῶς εὐκαταφρόνητος, ἀγχινοίᾳ δὲ πολὺ διαφέρων τῶν προβασιλευσάντων.* 1, 95 et Plut. Demet. 27. || 90. b. XLII = Lind. 6. || XLIII, 1. I. Sar. Pol. 5, 6: Unde Socrates quaerenti, quomodo quis famam optimam compararet, Si .... pauca. W. B. Socr. Interrogatus in quo quis famam acquirere possit, ait: Si g. o. et l. f. p. || XLIII, 2. W. B. Demosthenes: Inq. c. q. p. o. d. ait: Si nihil d. n. q. b. s. || XLIII, 4. Plut. apophth. Reg. et Imp. Phocione 2: *Ἐκκλησίας δὲ γενομένης πρὸς τὸν εἰπόντα, Σκεπτομένῳ, ὦ Φωκίων, ἔοικας, Ὀρθῶς, ἔφη, τοπάζεις· σκέπτομαι γάρ, εἴ τι δύναμαι περιελεῖν ὧν μέλλω λέγειν πρὸς Ἀθηναίους.* Cf. Plut. v. Demosth. 10. || 11 *plurima paucis*] Sallustius hist. I. 3 ed. Kritz. de Catone: Romani generis disertissimus [multa] paucis absolvit. || 15 *in corpore*] malim *in capite*.

iussit citharae chordas incidi, interrogatusque cur imperasset, Satius est, inquit, citharae nervos incidi quam solvi.

XLV. De detractione. *Cynicus cum illi dixisset quidam, vituperant* *De detractione Diogenes.*
te cuncti, Oportet, inquit, sapientiam ab insipientibus feriri.
Esse enim meliorem iudicat mala lingua, quem carpit.

XLVI. De contemptu pecuniae. Diogenes cum illi a capite nocte fur sarculum *De contemptu pecuniae.* **91. a.**
cum nummis subtrahere conaretur, et ille sentiret, Tolle, inquit,

XLVII. Quid populum domat. infelix, ut facias utrosque dormire. *Quid populum domat Py-*
1. Populi licentiam aut luxus aut fames domat, *thagoras dixit.*
2. aut bellum. Vulgi imperitiam ad res iustas sola constringit necessitas.

XLVIII. 1. Iudex iustus erit nemo, nisi qui de se cogitave-
2. rit alterum iudicare. Qui innocentem damnat sua sententia, semper est reus, cum se cottidie puniat conscientia.
3. Verbosa lingua malitiae indicium est.
4. Si aliena temere protuleris vitia, tua intempestive audies
5. crimina. Crimen sagittae est simile: facile infigitur, difficile expellitur.
6. Cave, ne armarium quam pectus habeas doctum.
7. Clementia perpetuo vincit qui utitur.
8. 9. Magnum iniuriae remedium est oblivio. In quem plus potes peccare.
10. Qui metuit contumeliam, raro accipit iniuriam.
11. Discordia interdum fit carior concordia.
12. Possis vincere audire oportet in eo quod pecunia.

Discrepantia Codicis Monacensis: 18, 19 *cytharae* || 20 *De tractione* || 22 *quam* pr. manu || 91. a. 1 *saculum* || 3 *pytagoras*

---

19 *solvi*] scil. nervos virorum. || 20 *De detractione*] i. e. de obtrectatione. Sic *detractor* ap. Tac. Annal. 11, 11; *detractionibus subiacere* I. Sar. Pol. 3, 14, 6. Cfr. quoque V. B. sp. m. 3, 4, 3. || **91.** a. XLVI. Cfr. ad Lind. 1. || XLVII, 2. W. B. Diogenes: Vulgi . . . . necessitas. || XLVIII, 1. 2. W. B. Diogenes: Iudex bonus erit nemo, n. q. de se a. i. cognoverit (scrib. *cogitaverit*). Qui i. d. se ipsum vulnerat, quoniam sua sententia (*conscientia?*) semper reus se ipsum punit. || XLVIII, 6. V. B. sp. m. 1, 3, 38: Pythagoras. C. ne a. doctius q. p. feras. || XLVIII, 7. P. Syr. 562 Or. (643 Zell): P. v. q. u. c. || XLVIII, 8. P. Syr. 320 Or. (Z. 357): Iniuriarum r. est o. Cfr. v. 375 Or. *Magnanimo* iniuriae r. o. est. Zellius v. 421 transpositis verbis: M. i. est r. o. Sen. epist. 94, 28: Numquid rationem exiges, cum tibi aliquis hos dixerit versus? Iniuriarum remedium est oblivio. Audentes fortuna iuvat. Piger ipse sibi obstat. || XLVIII, 9. Pro *peccare* Par. 17, V. B. sp. h. 3, 79 (Plato) et sp. d. 5, 17 (Plato) *peccare desine:* W. B. Plato *praevalere, peccare desine.* || XLVIII, 11. P. Syr. v. 96 ex ed. Erasmi, 175 Or. 191 Z. Discordia fit c. c. || XLVIII, 12. Scrib. puto: P. vincere; audere oportet. *In eo quo de pecunia* (i. e. in capite, quod est de pecunia): N. est etc.

13. Necesse est, ut te ipsum aut pecuniam vilem habeas.

— — — — — — —

— — — — — — —

Excerptio Proverbiorum de libro Persii.

Antequam ad alia progrediamur Caecilii Balbi fragmenta, hoc mihi relictum esse video, ut quod haec anecdota in capita paragraphosque descripserim, excusem atque defendam. Adscripsi quidem in dextro margine, ne Caecilio vim intulisse videar, numeros paginarum versuumque codicis Monacensis, quibus utantur, qui velint: sed cum singulis versibus binae interdum vel ternae comprehenderentur sententiae, editoris erat, ut singula dicta singulis numeris denotaret, quaenam esset optima capitum designatio, ipse secum reputaret, eaque potissimum indicia ac vestigia sequeretur, quae codex ipse aperte proderet. Iam illud accuratius inquirentem fugere non poterat, librarium rubro liquore usum esse, et ubi philosophorum nomina sententiarumque auctores adscriberet, et ubi quae virtutes in sequentibus laudatae vel commendatae quaeque vitia perstricta impugnataque essent adderet. Ubi vero eum utrumque fecisse videmus, id quod longe saepissime accidit, sicuti 84. b. 11 *De sapientia Socrates dixit*, hos titulos in duo quasi membra dispertiendos et ita quidem interpretandos esse putavi, ut posterior pars, i. e. auctoris nomen ad dictum proxime tantum subsequens referretur, prior vero pro capitis titulo acciperetur et ad complura simul dicta spectare existimaretur, donec oratio ad aliud deflecteret argumentum. Quam rationem cum ad libellum in capita describendum transferrem, pleraque apertum erat facillime expediri posse; in paucis capitum titulos ex coniectura supplevi. (Cfr. c. XIII. de fortuna, XIV. de beneficiis, XXXVIII. XXXIX. XL.) Neque tam hoc dolendum, quod capitum tituli a librario saepius omissi nunc quidem coniecturae ope restitui debeant, quam quod philosophorum nomina saepissime praetermissa sint. Et in nostro quidem codice, Monacensi scilicet, lacunis quasi referto, non immerito librarii incusare videmur socordiam atque negligentiam, quod quae atro calamo vacua reliquit, ea rubro non expleverit. (Cfr. ex. gr. 91. a. 6. 90. a. 16, 18.) Sed quid conquerendo diutius immoremur? Aliquantum sane detrimenti compensant, quos in adnotationibus sedulo congessi cum aliorum scriptorum loci, tum integriores Caecilii codices isque praesertim liber, quo W. Burleius usus est.

Prouti vero, quod in eodem codice Monacensi servatum est Horatianae, Persianae, Tibullianae, aliorum poeseos, excerptum tantum est ex horum poetarum libris integris, sic etiam, quas tredecim illae paginae (fol. 84. a — 91. a) continent Caecilii reliquias, excerptae sunt ex pleniore Caecilii opere, i. e. ex quattuor vel pluribus adeo nugarum libris. Immo et hoc suspicari licet, breviatorem in nonnullis certe ab eo ordine recessisse, quem ipse Caecilius secutus erat: quam opinionem praeter alia id maxime mihi excitaverat, quod in Persii, Iuvenalis, Lucani etc. fragmentis eodem codice comprehensis versiculorum ordi-

nem interdum turbatum esse viderem. Sic verbi causa post primae Horatii satirae versus 33—38 (parvula . . . . sapiens) vv. 12—15 itemque v. 25 librarius collocavit: in Persii satira prima v. 47 (neque . . . . fibra est) quadragesimum sextum antecedit, et quae sunt huius generis similia. Ac vereor, ne tantum huic coniecturae tribuendum sit, ut inviti quasi ad ea animum advertamus, quae critico, si quis diligenter in eam rem inquirat, notanda sunt. Monuisse satis erit, fol. 88. a dictum esse de garrulitate, fol. 91. a de verbosa lingua; fol. 87. b de maliloquio, fol. 89. b de maledicentibus; fol. 87. b de modo pecuniae, fol. 90. b de contemptu pecuniae (coll. 91. a 17, 18); fol. 84. b de doctrina, fol. 91. a 12 de armario docto; fol. 90. b de temperantia et fol. 91. a 14 iterum de eadem re. Sed simul etiam pleraque, quae suspicionem afferant, in extrema libelli parte occurrere ac omnia fere fol. 91. a scripta esse negari non potest; quam ob causam epitomatorem inde ab eo folio Caecilii librum revolvisse et ad supplendam epitomen suam adiecisse, quae sibi memoratu lectuque digna viderentur, haud immerito statuere videaris. Desiderantur quoque, unde coniecturae meae fides additur, sub finem libelli capitum tituli, vel certe, ubi rariores quidem adscripti sunt, ipsi a suspicione non absunt. Misso igitur loco illo corruptissimo fol. 91. a 17 *in eo quo de pecunia*, nonne alterum titulum, *Quid populum domat* ab epitomatore effictum eiusque originem ex ipsa Caecilii sententia »Populi licentiam . . . . domat» repetendam esse liquet? Nec secus est, si tertium titulum *de contemptu pecuniae* cum W. Burleii verbis »contempta pecunia ait» contulerimus. Et haec quidem de extremo libello. Sed etiam quae in principio posita sunt, haud facile expediri possunt, ac frustra titulum circumspicies, qui omnibus sententiis primo capite comprehensis adaptari possit: mihi quidem breviator, cum primam paginam describeret, nondum statuisse apud animum videtur, quaenam potissimum et quo ordine attingeret. In reliquis vero nil fere est, propter quod libellum prave descriptum esse dicas.

Iam omissa hac dubitatione ad alia transeamus, quae haud minorem criticis scrupulum iniicere possint. Videmus enim in cod. Mon. non iocos tantum et facete dicta referri, sed saepius, ac prima statim pagina, sententias quoque insertas esse morales, breves, P. Syri mimis simillimas, et easdem ipsas passim, quae in editionibus P. Syri leguntur. Quae res multos in eam fortasse opinionem inducet, ut libellum Monac. non ex Caecilii tantum libris, sed ex aliis quoque auctoribus congestum esse iudicent. At pugnat pro nobis, quod ceterae »excerptiones,» quae in Mon. continentur, ex singulis tantum auctoribus factae sunt: quod cum pariter in nostra quoque excerptione factum esse statuimus, quemnam alium scriptorem subesse iudicemus praeter Caecilium nostrum? An disertis verbis monendum est, ex septemdecim paragraphis, quas cod. Lindenbr. continet, undecim (1. 4. 5. 6. 10. 11. 12. 14. 15. 16. 17), exque dictis a I. Sar. Pol. 3, 14 narratis octo (5. 6^a. 6^c. 7. 8. 9. 12. 26) iterum in cod. Mon. recurrere? Et hic quidem, I. Sar. scilicet, paucioribus locis cum Mon. consentit atque conspirat, quam cod. Lind. propterea quod I. Sar. aliis fortasse praeter Caecilium usus est auctoribus. (Vid. infra cap. 7.) Sed ne morales quidem

sententias, quas in Monac. inesse miramur, quaeque prae iocis librario codicis Lindenbr. non adeo arrisisse videntur, ut describendis iis operae pretium se facturum putaret, Ioa. noster Saresb. plane praetermisit; conferamus modo § 10: »Quid Plato? totius philosophiae robur patientia est,« quam sententiam in Vinc. quoque Bell. sp. h. 3, 79 (de quibusdam dictis Platonis) et apud W. Burl. s. v. Plato inter alia Caecilii fragmenta deprehendimus. Quid iam discriminis inter hanc sententiam et Publianas esse dicas? nisi forte quis in libro Mon. saepius auctoris nomen desiderari obiiciat, quod tamen librarii negligentiae tribuendum esse supra monuimus. Earum sententiarum maior pars Socratis est, et si quae in Publii Syri editiones irrepserunt, futuro mimorum editori id agendum erit, ut eas inde eiiciat. Quod quo iure contendam, demonstrari vix poterit nisi subiectis prius anecdotis Parisinis, unde sententias quoque morales Caecilii nugis admixtas fuisse trium codicum auctoritate comprobatur.

6. CODICES PARISINI.

A = Cod. Paris. lat. 2772 saec. X.
B = Cod. Paris. lat. 4887 saec. XIII. (Fol. 75 verso.)
C = Cod. Paris. lat. 4718 saec. XIII.

INCIPIUNT SENTENTIAE PHILOSOPHORUM.

(1) *Definitio Ciceronis.* Nullae sunt occultiores insidiae, quam eae, quae latent in simulatione officii aut in aliquo necessitudinis nomine. Nam eum qui palam est adversarium facile cavendo vitare possis; et Troianus equus idcirco fefellit, quia formam Minervae mentitus est. (2) *alia.* Omnium est communis inimicus, qui est hostis suorum.

Discrepantia Codicum Parisinorum A, B, C: 1 *Incipiunt diffinitiones philosophorum de omnibus rebus contra querulos sermocinandi.* BC || 2 *quam hae* BC || 3 *adversarius* BC || 4 *potes* BC || 5 *omnium communis est* B ||

§ 1. ‚Nullae . . . . possis; (*quam eae, adversarius*) hoc vero occultum, intestinum ac domesticum malum non modo exsistit, verum etiam opprimit, antequam prospicere atque explorare potueris.' Cic. Verrin. 1, 15, 39. August. Civ. D. 19, 5. Nullae . . . . nomine Schol. ad Iuven. 4, 75. Cf. Cic. p. Mur. 37, 78. p. Cael. 28, 67. Verr. 4, 23, 52. Phil. 2, 13, 32. Nullae . . . . mentitus est W. B. Diogenes. (var. l. *quam hee, adversarius, potes*) || 4 *Troianus*] Alb. ab Eyb marg. poet. (de vita et moribus philosophorum auctoritates) *Troianos.* Cfr. infra cap. 9. || *formam*] corruptum esse vidit Roth: dicendum erat *donum* vel tale quid. Ad rem cf. Virg. Aen. 2, 15. 31. Hyg. fab. 108. Dict. Cret. p. 465 sq. Dederich. || § 2. Cic. Verrin. 1, 15, 38: O. e. c. i q. *fuit* h. s. W. B. Diogenes: O. i. c. e. q. e. h. s.

(3) *alia.* Nullus umquam sapientum proditori credendum putabit. (4) *Xenocrates dixit* *** quia locutum me aliquando poenituit, tacuisse numquam. (5) *Phocion dixit:* Duo maxime contraria esse consilio, festinationem et iram. (6) *Menefranes* dixit: Occasionem non accipi, sed rapi debere, si rationem, non eventum applices causae. (7) *Hermogenes dixit:* Plerosque homines in suis domibus saevissimos tyrannos, in alienis humillimos servos esse. (8) *Euclides dixit:* Plerosque hominum stultos serviles cibos et servilem vestem fugere, serviles mores non fugere. (9) *Demosthenes dixit:* Liberi servique personam veritas separat, servi liberique mendacium miscet. (10) *Aristoteles dixit:* Adversus inimicos intra parietes nostros victoria quaerenda est. (11) *Idem dixit,* Iniuriam iniuste irrogatam eius infamiam esse, qui facit. (12) *Idem:* Viri boni est nescire pati vel facere iniuriam. (13) *Idem dixit,* Solum se incommodum paupertatis pati, quod non posset egentibus subvenire. (14) *Plato dixit,* Eam verissimam iustitiam esse, quae erga inferiores servatur. (15) Triumphum innocentiae esse non peccare, ubi liceat posse. (16) *Idem praecepit:* In

Discrep. Codd. Parisin.: 1 *sapientium* B || *Item eiusdem quia* BC || 2 *Pocion* ABC || 3 *accipies rapere* A, *accipies et rapi* BC || 4 *applices causae non eventum* BC || Pro *Hermogenes* C *Euclides* || 6 *Eucliodes* A, *Hermogenes* C || *servilem fugere vestem* BC || 7 *Demostes* A || 8 *miscent* BC || *inter* ABC || § 11 — 13. *Iniuriam . . . . subvenire* in BC infra post § 17 leguntur, sed additis verbis *Aristoteles dixit.* || 10 *fecit* C || *pati* om. A || 13 *Idem praec.* A, *Alia* BC ||

---

§ 3. Cic. Verrin. 1, 15, 38: ‚Nemo umquam sapiens proditori credendum putavit,' quem locum affert Serv. ad Aen. 2, 157. P. Syr. v. 498 Grut. (512 Or. 589 Z.): Nullus sapientum proditori credidit. || 1 *putabit*] malim *putarit* cum Cic. et Servio. || § 4 = Mon. XXVI, 1. Lacunam, quam significavi post *dixit*, ex eodem expleas. || § 5 = M XXVIII, 5. W. B. Bias: ‚Cons. duo m. c. sunt, f. scilicet et ira.' Idem dictum omisso tantum *duo* infra § 55 b et apud W. B. inter Socratica legitur. || § 6 = M XXIX, 2, ex quo codd. Paris. emendavi. Ceterum iidem suppeditando Menefranis (*Menophanis?*) nomine, quod in M in lacunam incidit, mutuum quasi officium praestant. || 3 *Menefranes*] Haec corruptela iam codicem archetypum insedisse videtur, cum in M quoque 86. b. 3 idem numen corruptum legatur. || 4 *Hermogenes*] C Hermogenis dictum Euclidi, Euclidis Hermogeni tribuit errore orto ex consimili utriusque principio. Cfr. V. B. ad § 8 laudatum. || § 8. V. B. sp. d. 5, 8: Hermogenes. Plerique hominum stulti s. c. et s. v. fugiunt et s. m. non fugiunt. || § 9. V. B. sp. d. 4, 60 (Demosthenes orator) sp. h. 3, 91 (de oratore Demosthene) et W. B. Demosth.: Liberi . . . . miscet. || § 10. V. B. sp. d. 4, 83 (Aristot.) sp. h. 3, 82 (de Aristotele et dictis eius) et W. B. Arist.: Adversus . . . . est. || 8 *intra*] scripsi cum V. B. et W. B. Cfr. Cic Fam. 4, 14, 3. pro Quinctio 11, 38. || § 11 = M XXXIV, 2. || § 12 = M XXII, 4. || 10 *pati*] leg. *vel pati.* || § 13. V. B. sp. h. 3, 82: Dicebat enim Aristoteles, ut legitur, solum . . . . subvenire. W. B. Arist.: Dicebat etiam se unum solum paup. inc. pati . . . . subvenire. || § 14. V. B. sp. h. 3, 79 (de quibusdam dictis Platonis) et W. B. Plato: Illa est iustitia verissima quae etc. V. B. sp. d. 5, 17 *est* om. || § 15 = M VI. || § 16 = M XLVIII, 9.

quem plus potes peccare, desine. (17) *Diogenes dixit:* Superat conscientia, quicquid mali confinxerit lingua. (18) *Xenophon* maledicenti sibi cuidam, Tu, inquid, maledicere didicisti: ego conscientia teste didici maledicta contemnere. (19) *Demades dixit:* Amico mutuam me roganti pecuniam si dedero, et ipsum et pecuniam perdo. (20) *Speusippus* laudanti se cuidam dixit: Adulator, desine utrosque fallere: nihil proficis, cum te intelligam. (21) *Epaminondas dixit* Beatam civitatem, quae in pace bellum timet. (22) *Idem dixit:* Inimicos meos praestando beneficium torqueo. (23) *Bias Prieneus dixit*, Molestius esse inter duos amicos, quam duos inimicos iudicare. (24) *Solon dixit*, Convivium coagulum amicitiae esse cum bonis; convivium cum malis convivium imputandum. (25) *Cleobulus*

Discrep. Codd. Parisin.: 1 *Diogenes . . . . lingua* om. A ‖ 2 *confixerat* B, *confrixerat* C ‖ *Xenofon* A ‖ *dixit maledicenti* BC ‖ *inquid* om. BC ‖ *maledisti ego* A, *male dixisti ego* BC ‖ 4 *si dedero* om. BC ‖ *Diosippus* ABC ‖ *dixit laudanti enim* (scrib. *eum*) *cuidam dixit* BC ‖ 5 *cum intelligam* BC ‖ 6 *Epimenon* A, *Epimenes* BC ‖ *Item ipse inimicos* BC ‖ 7 *Viaspereneus* ABC ‖ 8 *quam inter duos* BC ‖ *Convivium amicitia cum bonis* BC ‖ 9 *convivium malis* A ‖ *Cleouolus dixit* A, *Cleobolus dixit* B, in C totidem fere litterarum lacuna est. ‖

§ 17. V. B. sp. h. 3, 68: Huius autem Diogenis dicitur illa esse sententia: Superat . . . . lingua. W. B. Diogenes: ‚Esse enim meliorem indicat mala lingua, quem carpit. (M 90. b. 22) Superet autem conscientia etc.' *Confinxerit* uterque. ‖ Tribus Aristotelis sententiis, quas BC post *lingua* exhibent, (cfr. Discrep. ad § 11—13) hic nullus est locus: coniungi enim, non dirimi debebant, quae ad unum eundemque philosophum referuntur dicta. ‖ § 18 = Lind. 16. M XXXV, 6. ‖ § 19 = M XXXVI. ‖ § 20. V. B. sp. d. 4, 168: Helinandus in chronicis suis. Speusippi quoque philosophi, qui fuit nepos Platonis ex sorore, huius legitur esse illa sententia, quam in laudantem se protulisse fertur. Adulator, inquit, desine etc. Id. sp. h. 3, 70: ‚Huius (scil. Speusippi) legitur illa esse sent. . . . . intelligam. Quidam vero hanc sententiam Speusippi dicunt non esse, sed alterius cuiusdam philosophi nomine Diosippi.' W. B. Speusippus: ‚Huius legitur . . . . intelligam,' plane ut in V. B. sp. h. ‖ 6 *Epaminondas*] scripsi verae lectionis vestigia in cod. A optimo et antiquissimo deprehendens; accedit, quod in M quoque nonnulla Epaminundae dicta leguntur; denique vero ad restituendam Caecilii manum maximi momenti esse puto Corn. Nep. locum v. Epamin. 5, 3: Is (Meneclidas) quod in re militari florere Epaminondam videbat, hortari solebat Thebanos, ut pacem bello anteferrent, ne illius imperatoris opera desideraretur. Huic ille, Fallis, inquit, verbo civis tuos, quod hos a bello avocas: otii enim nomine servitutem concilias. Nam paritur pax bello. Itaque qui ea diutina volunt frui, bello exercitati esse debent. ‖ § 22. De Epaminondae benignitate atque liberalitate cfr. ad Mon. XIV, 4. ‖ § 23. P. Syr. v. troch. 820 Or.: Inter amicos iudicatur, quam inimicos molestius. Zell v. 968: l. a. quam in. iudices mol. Diog. L. 1, 5, 87: *ἥδιον ἔλεγε* (scil. Bias) *δικάζειν μεταξὺ ἐχθρῶν ἢ φίλων. τῶν μὲν γὰρ φίλων πάντως ἐχθρὸν ἔσεσθαι τὸν ἕτερον, τῶν δὲ ἐχθρῶν τὸν ἕτερον φίλον.* V. B. sp. h. 2, 120 et sp. d. 5, 92: Bias Prieneus. Molestius est i. d. a. q. inter d. i. i. W. B. Bias: Molestius esse certe i. a. d. q. d. i. iud. Nam amicorum quidem alter est (*erit*?) inimicus; inimicorum vero alter amicus efficietur. ‖ § 25. P. Syr. v. troch. 825 Or. (973 Zell): Mage cavenda amicorum est invidia quam insidiae hostium. Diog. Laert. 1, 6, 91 de Cleobulo: *Φυλάσσεσθαι γὰρ τῶν μὲν φίλων τὸν ψόγον,* (*φθόνον* emend. I. G. Schneider in Wolfii Anal. vol. II. pag. 241 Walterum B. secutus) *τῶν δὲ*

dixit, Cavere nos amicorum magis invidiam quam inimicorum insidias debere; illud enim apertum, hoc celatum est malum, nocendique fraus quo non speratur potentior. (26) *Theophrastus dixit*, Expedire iam probatos amicos amari quam amatos probari. (27) *Idem dixit:* Ex inimico vindictam, si te inimicum senserit, perdidisti. (28) *Idem:* Gravius adversarium securitate decipies. (29) Nocere nescit, qui se velle nocere prodiderit. (30) Doloris ultionem ab inimicis exigit, qui patientiam dolendo custodit. (31) *Demetrius* Non opto, inquid, ut eos, qui divites sunt, amicos habeam. (32) *Iulius Caesar dixit:* Acceptum beneficium aeternae memoriae infigendum. (33) *Simonides* cum interrogaretur, quid inter homines celerrime consenesceret, Beneficium, inquit. (34) *Socrates dixit:* Qui multarum habet potestatem rerum, primum purgare conscientiam debet, ut quae delicta corrigit, non admittat vitetque quod vindicat. (35) Stultum est, ut velit quis aliis imperare, cum sibi ipse imperare non possit. (36) *Idem*, Eum firmum regem, qui quae imperat novit, vel praeceptis, quid contrarium esse potest, agnoscit. (37) *Idem*, Lucrum ingrate praestanti damnum pudoris esse. (38) Si quid dubitas, ne feceris. (39) Animi iudicio quod ne-

Discrep. Codd. Parisin.: 1 *magis amicorum* BC || 2 *potentia* BC || *Theofrastus* A, *Theophrastes* BC || 3 *amari non amato probari* A, *amare non amatos probare* BC || *Idem dixit* om. C, *Ipse* B || 5 *nocere velle* BC || *prodiderit. Ipse.* (scrib. vid. *Idem*) *Doloris* BC || 6 *Demetrius dixit non* B || 7 *inquit* BC || *abeam* AB || 8 *ingendum* A || *Simonides philosophus dixit cum* BC || 9 *consenesceret R*[t] (i. e. *respondit*) *Beneficium inquit* BC || 10 *pugnare* ABC || *ut qui* ABC || 11 *iudicat* A || *Ipse.* (leg. *Idem?*) *Stultum* BC || *aliis* om. BC || 12 *Idem ait eum* BC || *quod imperat* BC || 13 *praestantis* C || 14 *dampnum* BC || *Ipse. Si quid* BC, qui codices sequentibus quoque sententiis plerumque *Idem, Ipse, Item ipse*, vel denique *Iterum ipse* praefigunt. Sed ea omnia enumerare longum est. ||

ἐχθρῶν τὴν ἐπιβουλήν. V. B. sp. h. 2, 120 et sp. d. 5, 92: Cleobolus Lydius (scrib. *Lindius*): Magis am. inv. q. in. ins. debemus cavere .... quo non est sperare (sp. d. *est speratior*) potentior. W. B. Cleob. *quae non speratur;* reliqua cum V. B. conspirant. || § 26. Cfr. M XV, 7. || § 27, 28. V. B. sp. h. 5, 2: Et illa (suppl. Theophrasti dicitur esse sententia): Ex .... perdidisti. Et illa: Gravius .... decipies. W. B. Theophr.: Ex .... perdidisti. Gravius enim a. s. d. || § 29. W. B. Theophr. *velle* om. || § 32. Cfr. Pseudoseneca de moribus 67: Beneficii accepti numquam oportet oblivisci, dati protinus. || § 33. Diog. Laert. 5, 1, 18: Ἐρωτηθεὶς (scil. Aristoteles) τί γηράσκει ταχύ, Χάρις, ἔφη. W. B. Simonides: Interrogatus, quid inter homines facile consenesceret, ait, Beneficium. || § 34. V. B. sp. h. 3, 58 (de dictis Socratis moralibus): Actor. Huius quoque sententiae inveniuntur tales. Melius est cavere quam pavere. (Cf. P 43.) Qui m. r. p. h. p. *purgare* c. d. ut *quae* d. c. n. a. Id. sp. d. 5, 1: Socr. Qui .... purgare c. d. ut qui d. c. nulla admittat. W. B. Socr. sub finem: De dictis Socratis notabilibus sive proverbiis habentur haec: .... Qui in alios pot. exercet, p. purgare c. d. ut qui d. c n. a. v. q. iudicat. || § 35. V. B. sp. h. 3, 58 et sp. d. 5, 1: St. e. ut i. q. a. v. etc. Id. sp. d. 4, 125 *aliis* om. et *ipse* pro *ipsi*. W. B. Socr. post sententiam ad § 34 laudatam: St. est autem, ut etc. Cfr. Plut. apophth. Reg. et Imp. Cat. mai. 8. Diog. Laert. 1, 2, 60. || § 36 = M XXXIX, 4. || § 38, 39. W. B. Socr. S. q. d. ne f. sed quod in (al. *animi*) iud. n. fuerit, fugito.

gatum, fugito. (40) Oriente sole consilium, occidente convivium cogitato. (41) Si pacem vis, belli mentionem ne feceris. (42) Melius est cavere, quam pavere. (43) Utilius erubescere, quam pallescere. (44) Turpis est inopia, quae ex copia nascitur. (45) Age sic alienum, ut tuum non obliviscaris negotium. (46) Amico ita prodesto, ne tibi noceas. (47) Quod habes ita utere, ut alienum non egeas. (48) Plurimi sua amittunt, cum aliena appetunt. (49) Vigila, cum usus exegerit. (50) Honestam artem, quam bene didiceris, sequere. (51) In tuo quam in alieno labore sarcinam suscipe. (52) Gravius labor est, ubi nullus est effectus. (53) Pecuniae quaerendae et tuendae modum habere oportet. (54) Iracundiae infelicitas geminatur. (55) Velox consilium sequitur poenitentia. (55b) [*alia.* Maxime contraria esse consilio festinationem et iram.] (56) *Idem dixit:* Cum amicis breves rationes, amicitias longas esse oportet. (57) Iratus filio ipse te coerce, pater. (58) Filio modesto numquam grave est, quod pietas iubet parentis. (59) Negat sibi ipse, qui quod difficile est petit. (60) Malum alienum tuum ne feceris gaudium. (61) Principium ami-

Discrep. Codd. Parisin.: 3 *pavescere* ABC || *quae ex gloria* A, *quae de inopia* BC || 5 *alieno non* BC || 6 *honestam mortem* BC || 8 *nullus effectus est* C || 9 *geminantur* B || *sequitur patientia* BC || 10 *alia . . . . iram* om. A || *Item. Cum amicis* BC || 11 *rationes* om. A || 12 *numquam grati esse quod penitus videt impossibile* BC ||

---

§ 40. V. B. sp. h. 3, 58 et sp. d. 4, 26 (Socr.): Occidente . . . . cogitato. W. B. Socr. *cogitandum est.* || § 41. W. B. Socr. Si . . . . feceris. || § 42. 43. V. B. sp. h. 3, 58 et sp. d. 4, 27: Melius . . . . pavere. W. B. Socr. M. e. c. q. p. u. est e. q. pavescere. || 3 *Pallescere*] emendavi ex Plut. apophth. Reg. et Imp. Cat. min. 6: *Τῶν δὲ νέων, ἔφη, χαίρειν τοῖς ἐρυθριῶσι μᾶλλον ἢ τοῖς ὠχριῶσι.* Idem coniecerat V. Clar. M. Haupt in Schneidew. philol. vol. III, p. 377. || § 44. P. Syr. 859 Or. Turpis i. est, q. n. de gloria. Zell 895: Turpe est, quae i. n. de g. W. B. Socr. T. e. i. q. n. de gl. P. Syri sent. e cod. Turic. 56 (in Phaedri fabb. nov. XXXII. ed. Orellius Turici. 1832. 8. pag. 51): Mala est inopia, quae nascitur ex *copia.* || § 45. V. B. sp. h. 3, 58; sp. d. 5, 1 et W. B. Socr.: Age . . . . negotium. || § 46. V. B. sp. h. 3, 58 et W. B. Socr.: Amico . . . . noceas. V. B. sp. d. 5, 40 Socr. *sic* pro *ita.* || § 47. V. B. sp. h. 3, 58; sp. d. 5, 40 et W. B. Socr. *alieno.* Cf. tamen M XII, 8: Minimum eget mortalis, qui minimum cupit. || § 48. W. B. Socr. *dum* pro *cum.* Probo. Stob. flor. 10, 69 *Δημοκρίτου. Τοῦ πλέονος ἐπιθυμίη τὸ παρεὸν ἀπόλλυσι, τῇ Αἰσωπίῃ κυνὶ ἰκέλη γιγνομένη.* || § 49. W. B. Cum u. e. v. || § 50. Cic. Tusc. 1, 18, 41: Bene enim illo Graecorum proverbio praecipitur: Quam quisque norit ártem, in hac se exérceat. W. B. Socr. Hon. . . . . sequere. || § 51. V. B. sp. h. 3, 58 et sp. d. 5, 40: In . . . . suscipe. W. B. Socr. ‚In tuo *potius* quam etc.' omisso *labore.* || § 52. W. B. Gravior est l. u. n. e. est. (al. om. *est.*) || § 53. V. B. sp. h. 3, 58 totidem verbis. W. B. Socr. *haberi.* (al. *habere.*) Cfr. M XXI. || § 54. Malim *iracundia,* ut legitur ap. W. B. Socr. (al. *iracundia infelicitatem geminat.*) || § 55. P. Syr. 769 Or. (910 Zell.); V. B. sp. h. 3, 58; sp. d. 4, 26 et W. B. Socr.: V. c. s. p. || § 55 b. Cfr. ad Par. 5. V. B. l. l. ‚V. c. s. p. maxime*que* cons. sunt c. festinatio et ira.' || § 56 = M XV, 10. || § 57 = M XLI, 2. || § 58. W. B. Socr. F. m. n. g. e. q. pater i. nisi sit impossibile. || § 59 = M I, 13. || § 60 = M I, 16. || § 61 = M XV, 13. V. B. sp. h. 3, 58.

citiae est bene loqui; male dicere exordium inimicitiarum. (62) Amicus raro adquiritur, cito amittitur. (63) Multo turpius damnatur, cuius delicto ignoscitur. (64) Graviter irascitur, qui quod dolet deo commendat. (65) Conscientiam quam famam intende: famam enim saepe poteris fallere, conscientiam numquam. (66) Felicitas subiecta est semper adversis. (67) Damnum nisi ex abundantia raro evenit. (68) Cave, ne ob libidinem severitatem relinquas. (69) Discute, quod audias, et proba, quod credas. (70) Iniustae defensionis confidentiam vita. (71) Nec te imprudentia decipi nec cupiditate circumveniri permittas. (72) Nulli imponas, quod ipse pati non possis. (73) Hoc exhibe, quod tibi optaveris exhiberi. (74) Quod promiseris, indubitanter facito. (75) Loquere, quod gratum est; facito, quod expedit. (76) Praesentem laudare minime decet. (77) Morbum et pauperiem celare noli. (78) Sepultus aput te sermo sit semper, quem solus audieris. (79) Si bene egeris, ipse tibi personae auctoritatem dabis. (80) Cui omnes benedicunt, possidet populi bona. (81) Geminat peccatum, quem delicti non pudet. (82) Difficile est iniuriae convenire cum patientia. (83) Artus praeteriti temporis in famam migrat. (84) *Seneca dixit:* Non est unus,

Discrep. Codd. Parisin.: 1 *est* om. C || *inimicitiarum est* C || 2 *delictum* B || *agnoscitur* ABC || 3 *conscientiam potius quam* BC || *fama e. s. p. falli, conscientia numquam* A, *fallere enim poteris fama, conscientia non.* BC || 5 *Damnum . . . . evenit* om. BC || *ne propter libidinem* BC || 8 *Nul imponas* A || 9 *quod promiseras* BC || *Quere quod* ABC || 10 *Morbum . . . . noli* om. BC || 11 *apud te* BC || *semper* om. BC || 14 *Hactenus praeteriti* BC || *infamia migrat* C || *Seneca . . . . luxuria est* desunt in A; sequuntur post *migrat* praecepta Pythagorae. ||

§ 62. Iisdem verbis V. B. sp. h. 3, 58 et sp. d. 6, 14. W. B. Socr. A. am. r. c. autem (al. *sed cito*) amittitur. || § 63. V. B. sp. h. 3, 58: M. t. d. c. delictum cognoscitur. W. B. Socr. Peccare turpe est; sed m. t. est, cum delicto ignoscitur. || § 64. W. B. Socr. Graviter . . . . commendat. || § 65. P. Syr. 129 Or. (Zell pg. 36; consulto omisit Bothius): Conscientiae *potius* quam famae attenderis. V. B. sp. h. 3, 58: C. *plus* q. f. attende; fallere enim p. f. c. nusquam (leg. *numquam*). W. B. Socr. C. *magis* q. f. *custodi;* (al. *attende*) falli namque saepe p. fama, conscientia numquam. Eandem fere sententiam exprimit Pseudosen. de mor. 59: Nullum conscium peccatorum tuorum magis timueris, quam temet ipsum: alios poteris effugere, te autem numquam. || § 66. Cfr. ad M X, 4. || § 67=M I, 17. V. B. sp. d. 5, 75: Socr. Felicitas semper subiecta est adversis, damnum*que* n. ex a. r. venit. || § 68. W. B. Socr. C. ne ob l. *servitutem admittas.* (al. *ne l. in s. a.*) || § 69. P. Syr. 176 Or. (192 Zell): Discute, quod audis, omne, (*et* ins. Z.) quod credas, proba. W. B. Socr. Discute . . . . audias. || § 70. W. B. Socr. I. d. c. v. || § 71. W. B. Socr. Non te p. i. d. nec c. c. || § 72=M I, 20, totidemque verbis V. B. sp. h. 3, 58. P. Syr. 508 Or. Nulli impones, quod ipse ferre non queas. Zell 585: N. tu imp. i. q. f. haud queas. || § 73=M I, 21. V. B. sp. h. 3, 58: Hoc . . . . exhiberi. || § 74. W. B. Socr. Q. p. i. f. || § 75=M I, 24. || § 76=M I, 25. V. B. sp. h. 3, 58: P. l. m. d. || § 77=M I, 26. || § 78=M XXIII, 3. || § 79=M XXII, 3. V. B. sp. h. 3, 58: Si . . . . dabis. || § 80. W. B. Socr. Cui . . . . bona. (al. *intendunt* pro *benedicunt.*) || § 81. P. Syr. 251 Or. (277 Zell) W. B. Socr. G. p. q. d. n. p. V. B. sp. h. 3, 58: P. g. q. d. n. p. Idem sp. d. 5, 22: P. g. q. n. p. d. || § 82. W. B. Socr. *iniuriam.*

quamvis praecipuus sit, imitandus in omnibus, quia numquam par fit auctori. (85) *Idem:* Nibil enim tam mortiferum ingeniis quam luxuria est.

Discrep. Codd. Parisin.: 2 Sequuntur post *luxuria est* in C praecepta Pythagorae, quae etiam in A leguntur; in B carmen de vita recte instituenda. ||

Inter codices Parisinos eum, quem littera A notavi, ceteros ut vetustate ita bonitate longe antecellere cuivis facile intellectu erit, qui discrepantiam librorum media pagina enotatam vel cursim transierit. Vetustatem codicis quod attinet, cum rara scripturae compendia tum alia indicia eum seculo decimo exeunte vel potius undecimo ineunte scriptum iudicandum esse testimonio sunt: qui reliqui sunt codices, B et C paucis tantum locis integriorem codice A scripturam servaverunt; (confer ex. gr. § 6 *accipies et rapi* pro *accipi set rapi*, § 24 *convivium cum malis*, § 32 *infigendum* etc.) quorum ego variam lectionem adscribere fortasse supersedissem, nisi et memor fuissem, quanta olim animi voluptate et laetitia affectus fuerim, cum sectanti mihi Caecilii fragmenta eos latibulis excitare contingeret iidemque, passim quidem corrupti, sententiam 17 soli exhiberent, et in fine duas Senecae sententias subiungerent, quas etsi dubites, sintne ex Caecilii opere excerptae, aliquanti aestimari par est, donec ex quonam alio scriptore petitae sint in medium proferatur. Et quamvis hos duos codices iisdem fere corruptelis laborare nec multum inter se dissentire apertum sit, non ex ipso tamen codice A descriptos esse vel ex iis intelligitur, quae modo de eorum discrepantia monui.

Deinde videndum, quo ordine singulae sesé sententiae excipiant. Coniunctas igitur esse, quotquot ad eundem auctorem referantur sententiae codicumqae BC discrepantiam ad § 11—13 enotatam auctoritati codicis A cedere debere extra omnem dubitationem positum est; itemque ad § 35, 38 seqq. repetenda esse verba *Socrates dixit* sententiae 34 praemissa cum per se, tum collatis V. B. sp. h. 3, 58 (de dictis Socratis moralibus) et W. B. s. v. Socr. apparet. Idem ne in cod. Mon. nobis sumamus summopere cavendum est. Nam cum alia quidem sint, ubi eiusdem philosophi sese excipiant sententiae nomenque primae tantum sit praefixum, veluti I, 2—18, quae sententiae pleraeque videntur esse Socratis § 2 et 13 laudati, sent. tamen 20—30 non Heracliti § 19 citati, sed iterum eiusdem Socratis esse V. B. W. B. denique codices Parisini evincunt.

Restat, ut anecdota Parisina ex Caecilio Balbo excerpta esse demonstrem. Quod quo clarius perspiciatur, eos locos, qui in utraque legantur epitoma, Monacensi et Parisina, sub uno adspectu ponendos duxi.

Codd. Par.		Cod. Mon.		Vinc. Bell. sp. d.	sp. h.	sp. m.	W. B.	P. Syrus Or.	Zell.	
4	Xenocr.	26, 1.	Xenocr.	—	4, 14.	3, 1, 4.	Xenocr.	—	—	
5 55b	Phocion Socrates	28, 5.	anon.	—	—	—	Bias Socrates	—	—	
6	Menefr.	29, 2.	anon.	—	—	—	—	—	—	
11	Aristot.	34, 2.	»	4, 83.	3, 82.	—	Aristot. Xenocr.	—	—	
12	Aristot.	22, 4.	»	4, 83.	3, 82.	3, 5, 2.	Aristot.	775	922	
15	Plato	6.	Plato	5, 17.	3, 79.	—	Plato	—	—	
16	»	48, 9.	anon.	5, 17.	3, 79.	—	»	—	—	
18	Xenoph.	35, 6.	Xenoph.	—	3, 67.	—	Xenoph.	—	—	I. Sar. P. 3, 14, 8 et 8, 15. Lind. 16.
19	Demades	36.	Megmas	6, 15.	—	—	Demas	—	—	
26	Theophr.	15, 7.	Theophr.	6, 14.	5, 2.	—	Theophr.	—	—	
36	Socrates	39, 4.	anon.	—	—	—	—	—	—	
56	»	15, 10.	»	6, 14.	3, 58.	—	Theophr. Socrates	—	—	
57	»	41, 2.	»	—	—	—	»	—	—	
59	»	1, 13.	Socrates	4, 51.	3, 58.	—	»	463	521	
60	»	1, 16.	anon.	4, 130.	3, 58.	—	»	15 400	19 449	
61	»	15, 13.	»	6, 14.	—	—	»	—	—	
66	»	10, 4.	Socrates	5, 75.	3, 58.	—	«	—	—	
[67]	»	1, 17.	anon.	—	3, 58.	—	»	161	p. 36.	
72	»	1, 20.	»	5, 1.	3, 58.	—	»	508	585	
73	»	1, 21.	»	5, 1.	3, 58.	—	»	—	—	
75	»	1, 24.	»	—	—	—	»	—	—	
76	»	1, 25.	»	4, 167.	—	—	»	—	—	
77	»	1, 26.	»	—	—	—	»	—	—	
78	»	23, 3.	Socrates	4, 92. 4, 170.	3, 58.	—	Zeno Socrates	—	—	
79	»	22, 3.	»	5, 1.	—	3, 5, 2.	—	—	—	

Quibus locis ita usi sumus, ut modo Monacensem codicem ope Parisinorum, modo Parisinos libros ope Monacensis emendaremus, prouti hic vel illi ad ipsam Caecilii manum propius accedere videbantur. Passim vero omnes codices eadem corruptela inquinati sunt, ita ut emendandi quidem ratio incerta sit et coniecturae tantum superstructa, earum vero originem ex communi quodam fonte repetendam esse facile intelligatur. Cuius generis est

corruptum illud *Menefranes*, (Mon. 86. b. 3 et Par. 6) quod nescio an per se ipsum iam utrumque libellum eorundem esse natalium satis superque comprobet. Praeterea iidem fere sunt, quorum sententiae apud I. Sar. in cod. Hamb. Lind. Mon. Pariss. leguntur, Graeci nimirum et Romani, barbari quoque aliquot locis, exclusis tamen christianis auctoribus, quorum in talibus collectionibus et suus locus esse solet, exclusis Homero scenicisque poetis, quorum sententias Stobaeus aliique suis inseruerunt florilegiis. Occurrunt igitur Antisthenis, Aristippi, Aristotelis, Augusti, Biantis, Caesaris, Catonis, Chilonis, Ciceronis, Demadis, Demosthenis, Diogenis, Epaminondae, Hermogenis (cuiusnam?), Menefranis, Phocionis, Platonis, Pythagorae, Simonidis, Solonis, Theophrasti, Xenocratis, Zenonis variae variis in codicibus sententiae. Neque hoc praetereundum, ne unum quidem inveniri inter illos, qui secundum post Chr. seculum attingat, sed eorum, qui recentissimi commemorantur, aetatem descendere usque ad primum p. Chr. seculum: exhibent igitur Parr. Senecae sententias, (§ 84. 85) Mon. Augusti, Xysti Tiberii aequalis, Titi; (M 35, 4; 15, 4; 35, 5) cod. Lind. Augusti, Tiberii, Titi dicta. (§ 9. 15.) Unam denique simplicemque esse naturam atque indolem Caecilianorum fragmentorum invenies, si ad dictionem eandem in cod. Hamb. Lind. Mon. Pariss. animum adverteris; verum hac de re sub finem libelli disserere mihi proposui. Mihi quidem iam haec sufficere videntur, unde codd. Mon. et Pariss. ex uno Caecilio Balbo fluxisse facili negotio intelligi possit; idque quovis pignore contenderim, donec alii, ex quonam alio anecdota illa sint desumpta, evincant: Publius Syrus certe multum abest, ut nos in angustias adducat.

II.

Haec fere sunt, quae ex codicibus mscr. aut ipse descripsi aut ab aliis descripta accepi, vel denique ex veteribus libris collegi, Caecilii alia nomine inscripta, alia ἀδέσποτα quidem, sed quae eiusdem esse Caeciliani operis facile agnoscatur. Lindenbrogio cum semel Caecilii Balbi fragmenta ad manus fuisse compertum esset, Petersenius schedas post eius mortem superstites, quae in bibliotheca Hamburgensi asservantur, diligentissime eum in finem perscrutatus est, ut alia quoque eius scriptoris fragmenta investigaret; verum in hac re a fortuna derelicto non solum nihil novi, sed ne eorum quidem exemplar reperire contigit, quae capite quarto (supra pag. 13 seqq.) ex apographo Haasiano edidi: inde schedas ab Haasio descriptas vivo adhuc Lindenbrogio in alius cuiusdam V. D. manus pervenisse concluditur. Neque tamen in his acquiescendum esse puto, quippe qui Caecilii nomen iam dudum oblivione obrutum esse sciam, sed illos potissimum medii aevi scriptores diligenter pertractandos iteratisque curis excutiendos esse arbitror, quos opere nostro licet ignaros auctoris usos esse constat, Vincentium dico Bellovacensem († circiter an. 1264) et Walterum Burleium († circ. an. 1340) in adnotationibus meis passim laudatos. Quamquam ad Ioannis Sar. quoque Policraticum anno 1159 scriptum redeat oratio necesse est, et in alios praeter eum auctores inquirendum fortasse erat, praesertim in Helinandum, (cfr. infra cap. 8) cuius chronica ex parte saltem typis divulgata mihi non ad manus fuisse summopere doleo. Sed cum vel sic hic libellus totum me occupatum tenuerit, omisso Helinando ad Policratici lib. III. cap. 14 transeamus videamusque simul, quibus nixi argumentis illius capitis magnam partem itemque alios Policratici locos ex Caecilio fluxisse statuerimus.

---

7. IOA. SARESBERIENSIS. SUETONIUS. MACROBIUS.

Inter Ioa. Saresberiensis opera illud, quod philologi non tam propter ipsius doctrinam de christianorum fide quam propter multorum antiquitatis scriptorum loca ab eo laudata

plurimi facere solent, *Policraticum* inscribi sive *de nugis Curialium et vestigiis philosophorum* satis notum est. Quae cum ita sint, multae ac variae lectionis scriptorem ita edi exoptandum est, ut veterum scriptorum loca ab eo allegata diligenter inquirantur atque in margine enotentur, quo facilius, quaenam ex veteribus scriptoribus sint petita, quaenam nullis eorum testimoniis comprobata unius nitantur Ioannis fide atque auctoritate, uno quasi obtutu intelligi possit: quae denique ipse de suo addidit, facillime ab iis discerni possint, quae aliis debet scriptoribus. Editionis igitur hunc in finem adornatae hic esset fructus, ut quae ad antiquitatis pertineant memoriam neque in scriptoribus usque ad nostram aetatem in lucem editis legantur, ex auctoribus nunc quidem deperditis descripta et Caecilio Balbo, Flaviano (cfr. Fabric. bibl. lat. med. et inf. aet. II. pag. 504. Lud. Iani prolegg. ad Macrob. pag. XXVII et XXXIII) et Portuniano (Pol. 8, 6 et 8, 7. Fabr. bibl. lat. III p. 983) tribuenda esse perspiceretur: hi enim soli esse videntur antiqnitatis scriptores iniuria temporum deperditi, quibus Ioanni Sar. XII adhuc seculo uti licuit. Sed valde dolendum, neminem adhuc philologum hanc sibi provinciam administrandam sumpsisse, eumque, cui nuperrimam huius scriptoris debemus editionem quinque voluminibus Oxonii anno 1848 impressam, I. A. Giles, Iur. Civ. Doctorem, ne ea quidem loca inspexisse, ubi I. Sar. ipse diserte et librum et caput scriptoris a sese descripti citat, quibus collatis I. Sar. verba multis locis emendare ei licuisset*). Mihi ipsi aliis negotiis obruto non tantum otii supererat, quanto opus fuit ad totum Policraticum accuratissime pertractandum eaque perficienda, quae eius operis editori perficienda erant. Itaque hanc studiorum partem aut in posterum mihi tempus reservandam aut aliis relinquendam esse puto, et nunc quidem ea Policratici loca enumerare satis habeo, quae cum Caecilii fragmentis iam in medium prolatis congruant. Sunt vero haec:

Pol. 3, 13 = Lindenbr. 3. nisi potius I. Sar. ipsum Hieronymum secutus est.
Pol. 4, 3 sub fin. = Mon. XL, 1. 2. 3. 4.
Pol. 4, 4 = Mon. XXXIX, 5, ubi conf. adnot.
Pol. 5, 6 = Mon. XLI, 1.
Pol. 5, 17 = Lind. § 7.
Pol. 8, 15 = Pol. 3, 14, 8; Lind. 16; Mon. XXXV, 6; Par. 18.
Ibid. (Diaspenis) = Mon. XII, 1; W. B. Epimenides (*Epaminondas?*)

Quamquam quae causa fuerit I. Sar. ut neque his locis neque Pol. lib. III. cap. 14 § 5 seqq. Caecilii nomen proderet, triplici coniectura assequi licet: aut enim ipse apophtheg-

*) Sic ex. gr. Pol. 4, 3 fin. edidit: ‚Lycurgus populum in obsequia principum, principes ad iustitiam *impiorum firmavit*' pro *imperiorum formavit*. Cf. Iust. 3, 2. Pol. 6, 11: ‚Equitibus non amplius quam singulos *lacones* (al. *latores*) habere permisit'; leg. *calones* ex Front. strat. 4, 1, 6: ex eodem corrig. *caederentur* pro *redderentur*. Pol. 6, 18 leg. *Comum* pro *Cornum* ex Iust. 20, 5. Pol. 8, 15 fin. scrib. *Minucio* pro *Munitio*, *Calpurnium* pro *Albinum Purnium*, *Lucii* pro *Vitii*, *id se* pro *ipsi*, *odium* pro *odiis*, *corripuisset* pro *corrupisset* ex Val. Max. 9, 4. etc. etc.

mata illa Caecilii esse ignorabat praefationemque tantum in suo codice inveniebat Caecilii nomine inscriptam; aut forte fortuna factum est, ut auctoris nomen, unde sua hauserat, adscribere omitteret, id quod ei alias quoque accidisse supra vidimus pag. 4; vel denique consulto Caecilii nomen suppressit. Eum vero voluisse aliena pro suis venditare ut suspicemur, cum ab eius moribus abhorret, tum ipsius verba vetant 3, 14, 5 ‚dixisse *legitur*'; 3, 14, 13 ‚pirata *scribitur* respondisse'; 3, 14, 42 ‚suspexisse *dicitur* coelum'; 4, 4 ‚*ut ferunt historiae gentium*', quibuscum conferas etiam 3, 14, 4.

Sed utut est, passim per Policraticum Caecilii Balbi vestigia apparere monendum erat, ne spem novorum Caecilii fragmentorum eruendorum abiiceremus. Nam si quis reputaverit exiguam tantum Caeciliani operis partem aetatem tulisse, Ioannem Sar. vero pleniore codice usum videri, quidni ex reliqua quoque illius operis parte, quam in lucem protrahere nondum contigit, fragmenta hic illic latere suspicetur? Sic exempli gratia, ut rem paucis transigam, ex Caecilio fluxisse suspicor, quae leguntur Pol. 5, 17 sub fin.

> *Quid, inquit curiosus philosophiae perscrutator, tibi philosophia contulit? Et Aristippus, Ut cum omnibus, ait, hominibus intrepide fabuler.*

Leguntur enim haec et eodem capite, quo Agathoclis dictum (cfr. ad Lind. 7) narratum est, et ipsius Aristippi Caecilius complura exhibet apophthegmata. Mon. II, 3. XXI. XXXV, 1. Idem Aristippi responsum iisdem verbis in I. Sar. epist. 191 (vol. II. pag. 23 ed. Giles) legitur, nec multum abit Diog. Laert. II, 8, 68 *ἐρωτηθεὶς* (scil. *Ἀρίστιππος*) *τί αὐτῷ περιγέγονεν ἐκ φιλοσοφίας ἔφη, Τὸ δύνασθαι πᾶσι θαρρούντως ὁμιλεῖν*: sed Diogene Laertio, quod sciam, I. Sar. usus non est, et in universum in latinis magis quam graecis scriptoribus versatus fuisse videtur; certe eius nusquam mentionem fecit.

Ne igitur diutius in incertis versemur coniecturis finiumque proferendorum cupidine in certamen descendamus invita fortasse Minerva et in terra parum cognita, id potius nobis agendum erit, ut sitne bene conciliata atque pacata, quam adhuc partam nobis habemus provinciam, accuratius inquiramus; itaque examinandum erit, num I. Sar. Pol. III. 14 Caecilium Balbum compilasse demonstrare possimus. Quod cum iam Petersenius unius codicis Hamburgensis auctoritate motus suo iure statuerit, nunc iam hanc tabulam lectorum oculis subiicere licet.

	Pol. 3, 14 §§	Lind.	Mon.	Par.	V. Bel.	W. B.
Aristippus	5.	14.	35, 1.	—	—	Xenocrates.
Antisthenes	6.	—	35, 2.	—	—	Antisthenes.
»	6c.	—	35, 3.	—	—	»
Titus	7.	15.	35, 5.	—	—	—
Xenophon	8.	16.	35, 6.	18.	h. 3, 67.	Xenophon.
Diogenes	9.	17.	45.	—	—	Diogenes.
Plato	10.	—	—	—	h. 3, 79.	Plato.

	Pol. 3, 14 §§	Lind.	Mon.	Par.	V. Bel.	W. B.
Socrates	11.	8.	—	—	—	—
Antigonus	12.	—	44.	—	—	—
I. Caesar	16.	13 pr.	—	—	—	—
»	19.	13 m.	—	—	—	—
Augustus	22.	13 f.	—	—	—	—
»	26.	—	35, 4.	—	—	—
»	29.	2.	—	—	—	—
Titus	41.	—	[14, 4.]	—	—	[Bias.]
Alexander	13.	= Anecd. Hamburg.				

Vides priorem huius capitis partem integram fere ex Caecilio Balbo translatam esse; § 14, 15 et 23, quas apud nullum antiquitatis scriptorem legere memini, item Caecilii sint: mediam vero et ultimam partem maxime Suetonio et Macrobio deberi dicas, cum alia (§ 18. 32—42. 45) in Suetonii vitis, alia (§ 20. 21. 27—31) in Macrobii Saturnalibus, alia denique (§ 17 et 25) apud utrumque legantur. Ad § 43 et 44 si propius accesseris, nihil facetiarum, nihil nugarum inesse itemque paragrapho proxime praecedente 42 Titi potius mores secundum Suetonium adumbrari quam eius facete dicta referri censebis.

In hac rerum condicione reiecta opinione illa, qua Policratici caput illud magnam partem ex Caecilio fluxisse statuimus, plerosque haud miror eam in sententiam abituros, ut illud ex Suetonii potius et Macrobii locis congestum esse dicant, et ad commendandam hanc coniecturam id premant, Ioannes Sar. mirum esse quantopere cum Suetonio ac Macrobio concinat. Verum si quis totum sese in hanc rem, impeditam sane et contortam, immerserit neque se externa specie decipi patiatur, vix dubito, quin hanc opinionem depositurus sit. Molestum quidem est et mihi, ea enumerare, et lectori, ea omnia perlegere, quae ad litem illam diiudicandam aliquid habeant momenti; sed cum res ipsa sit gravissima, ea certe proferenda erunt, quibus primis quasi lineis tota quaestio adumbrari possit.

Primum igitur Ioannem Sar. pleniore saepius et uberiore uti rerum enarratione deprehendimus, quam Suetonium, neque id tantum agere, ut quae a Suetonio mutuatus erat, verbis exaggeret et in maius augeat, sed plane nova interdum exhibere, quae a nullo veterum auctorum tradita sint. Cfr. ex. gr.

Suet. Caes. 45: ut . . . . calvitii . . . . deformitatem iniquissime ferret, saepe obtrectatorum iocis obnoxiam expertus. Ideoque et deficientem capillum revocare a vertice assueverat.

I. Sar. Pol. III, 14, 16: Cum enim calvitium iniquissime ferret, et deficientem capillum a cervice convocaret ad frontem, *ab irato milite ei dictum est: Facilius est Caesar, te calvum non esse, quam me in exercitu Romano quicquam egisse vel acturum esse timidius.*

Quae igitur Suetonius verbis *obtrectatorum iocis obnoxiam* leviter tantum indicat, apud hunc pluribus exponuntur. Cfr. etiam:

Suet. Octav. 73: Usus est . . . . calciamentis altiusculis, ut procerior, quam erat, videretur.

I. Sar. Pol. III, 14, 35: *Et cum nanus ob corporis brevitatem convicianțis cuiusdam impetu diceretur*, sibi calciamentis grandiusculis utendum esse respondit.

Deinde vero Suetonium iis ipsis locis, quae cum I. Sar. consentiunt, ad aliorum scriptorum provocare auctoritatem monendum est, veluti:

Suet. Caes. 47: Britanniam petisse (suppl. *multi prodiderunt*) spe margaritarum, quarum amplitudinem conferentem interdum sua manu exegisse pondus.

I. S. Pol. III, 14, 18: Praeterea margaritarum cupidissimus erat, quas, pondus earum interdum manu conferens, discernebat. *Cum ergo Caecilio invito, rem ut faceret senatus auctoritate denunciasset, ut ei videbatur, iniustam, Ante, inquit, satiaberis margaritis.*

Et ut hoc loco Suetonius non solum alios scriptores secutus esse videtur, sed etiam uberior est I. Sar. enarratio, ita loco quoque supra laudato, Suet. Caes. 45 praecesserant verba ,fuisse *traditur* excelsa statura', ,ut *quidam* exprobraverunt', ,cultu notabilem *ferunt*'. Cfr. praeterea:

Suet. Vesp. 16. **Quidam** natura cupidissimum **tradunt** idque exprobratum ei a sene bubulco; qui negata sibi gratuita libertate, quam imperium adeptum suppliciter orabat, proclamaverit, Vulpem pilum mutare, non mores.

Pol. l. l. 38. Etiam infimorum convicia patienter tulit, adeo ut sene bubulco proclamante in improperium eius, Vulpem pilum posse mutare, non animum, eo quod natura cupidissimus esset pecuniae, *nec avaritiam minueret processus aetatis, respondisse dicatur: Huiusmodi hominibus debemus risum, nobis correctionem, sed poenam criminosis.*

Iam quaeritur, sitne auctor ille, quo I. Sar. et Suet. usi sunt, re vera Caecilius Balbus, an Ioanni — ad quam coniecturam equidem confugere nolim — integriorem et pleniorem Suetonii codicem ad manus fuisse statuendum sit: sed iam ad exitum venit haec quaestio, cum codex Lindenbr. § 9, quae et apud Suet. Aug. 51 et apud I. Sar. l. l. § 24 legimus, Caecilii esse testetur, itemque sibi respondeant Lind. 13[a], Suet. Caes. 45 et I. Sar. l. l. § 16. Quae si recte disputavi, multum iam profecimus ad Caecilii nostri aetatem certis quibusdam finibus circumscribendam; confirmatur etiam, quod veteres et nostrates certatim de Suetonio iudicaverunt, hunc scriptorem veteres auctores diligentissime pervolvisse eosque religiose secutum esse.

Ad Macrobium transituro mihi non multum relictum est laboris atque periculi: qui enim iam Suetonium Caecilio nostro usum esse comprobent, haud dubito, quin idem etiam in Macrobio statuendum esse sibi sint persuasuri. Sed unum est, quo Macrobius magnopere

differat a Suetonio. Illum quippe novimus sua plerumque ex alienis hortulis sumentem, ut ipse profitetur Sat. lib. I. praef. § 4: ‚Nec mihi vitio vertas, si res quas ex lectione varia mutuabor ipsis saepe verbis, quibus ab ipsis auctoribus enarratae sunt, explicabo, quia praesens opus non eloquentiae ostentationem sed noscendorum congeriem pollicetur'. Qui quamvis plerumque eos scriptores, quos secutus est, nominare soleat, non desunt tamen loca, ubi tacitus eos compilavit. Neque quod hic omisit, cum nihil ad rem attinere putaret, alii antiquitatis historici magis sibi religioni duxerunt: certe plurimorum hac in re ea solet esse taciturnitas, ut si minus ab omni culpa vacua, at tamen, sicut omnia, quae quasi more maiorum instituta sunt, excusanda esse videatur. Gellii ex. gr. bis mentionem facit; quot vero locis eum compilaverit, ex indice novae editionis Ianianae cognoscas: et ne exempla longius repetamus, ne illis quidem duobus locis, ubi cum Suetonio facit, (cfr. ad Policr. III. 14, 17 et 25) quemquam eum laudasse auctorem monendum est. Addo, quibus Macrobius ipse Saturn. lib. II, cap. 1, 8 praefatur: ‚Et, ni fallor, inveni, ut iocos veterum ac nobilium virorum e d e c u m a t o s e x m u l t i i u g i s l i b r i s relatione mutua proferamus'. Denique hoc quoque loco codicis Lindenbrogiani accedit testimonium: is enim, quae apud I. Sar. Pol. 3, 14, 29 et apud Macr. Sat. 2, 4, 27 occurrunt, § 2 Caecilio Balbo tribuit.

Verum haec paucis monuisse satis habeo, quibus Suetonium Macrobiumque Caecilio Balbo usos esse et Ioannem Sar. iis certe locis, quos exscripsi, eundem Caecilium ante oculos habuisse comprobetur. Unum tantum cavere volo, ne Policr. lib. III. cap. 14 *totum* ex Caecilio descriptum esse statuamus: supersunt sane multa admodum, quae haud dubie ex ipso Suetonio et Macrobio descripta sunt.

8. HELINANDUS. VINCENTIUS BELLOVACENSIS.

Fr. Hurteri in historia Innocentii III papae vol. IV. pag. 639 haec exstant verba: »Da Vincenz viele Stellen der Klassiker anführt, die zum Theile nicht mehr vorhanden sind, so würde vielleicht eine Vergleichung jener Stellen für einen tüchtigen Philologen eine nicht ganz werthlose Ausbeute gewähren.«

Cui labori cum me haudquaquam parem esse sentiam neque alios adhuc philologos Hurteri consilio obtemperasse noverim, ipse tamen, quippe qui vel maxima exiguis initiis proficisci sciam, ea Vincentii loca hoc capite congerenda esse statui, quae ex Caecilio Balbo descripta esse videntur. Haec res vero duas habet cautiones. Primum enim, si quae Caecilio tribuenda esse coniectura assequimur, videndum est, ne in aliorum involemus provinciam neve pro Caecilianis venditemus, quae ad alios referenda sunt auctores; deinde non adeo me immersi in Vincentii operum lectionem nec tanta est mei fiducia, ut Caeciliana omnia enotasse, nil omisisse putem: immo cum multa ego quidem collegerim loca,

multa fortasse a me neglecta esse libenter concedo. Sed vel sic adnotandis, quae ego collegeram, rem non plane inutilem suscepisse mihi videbar et eo maxime nomine philologis probatam, ut, quibus speculis, quibus libris, quibus capitibus Caecilii vestigia exstarent, constaret itiuerisque dux existerem iis, qui hanc rem accuratius explorare velint.

Prinsquam vero ad illa specula perlustranda accedamus, ex Vinc. B. pauca proferenda sunt de Helinando, anno 1277 mortuo, quem et ipsum Caecilio usum esse suspicari licet ex locis ad Mon. XXXIX, 5 et ad Par. 20 adnotatis. Vinc. igitur spec. hist. l. 29, cap. 108 haec de eo refert: »Actor. His temporibus in territorio Bellovacensi fuit Helinandus monachus Frigidimontanus, vir religiosus et facundia disertus. . . . . Etiam chronicam diligenter ab initio mundi usque ad tempus suum in maximo quodam volumine digessit. Et hoc quidem opus dissipatum est et dispersum, ut nusquam totum reperiatur. . . . . De hoc tamen opere, prout invenire potui, in hoc quoque nostro opere multa per diversa loca inserui.« Haec, ut sunt fere certissima, quae mihi de hoc scriptore innotuerunt, ita argumento esse possunt, Caeciliana fragmenta ab Helinando servata pleraque a Vincentio in spec. hist. et nat. digesta esse Helinandique chronica ad Caecilii libros in integrum restituendos haud ita magni esse momenti.

Quattuor sunt opera nobilissima summaeque eruditionis, quae Vincentii Bell. nomine inscribi solent: speculum historiale, sp. doctrinale, sp. naturale, sp. morale. Horum postremum, etsi non est Vincentii, sed alius cuiusdam viri docti foetus Vincentio suppositus, (cfr. Aloys Vogel. Litterär-historische Notizen über den mittelalterlichen Gelehrten Vincenz von Beauvais. Progr. Friburg. anni 1843. 4.) nonnulla tamen continet Caecilii fragmenta, ut praefationis partem, de qua vide supra pag. 2 et 3; naturale, in quo vix Caeciliana inesse mihi persuadebam propter argumenti diversitatem, ne inspexi quidem; in doctrinali multae latent Socratis sententiae morales, breviores illae et pag. 40 seqq. editae; per historiales denique libros, eos praesertim, quibus de veteribus philosophis exponitur, passim agnoscimus Caecilii manum. Videamus igitur de singulis.

a) *Speculum historiale.*

Lib. 2, cap. 120. De septem sapientibus Graeciae. Cleobulus. Magis . . . . potentior Par. 25. Bias. Molestius . . . . iudicare. P 23. Sequuntur deinde haec:

V. B. *Idem Byas Prieneus ita aiebat, ita oportere hominibus in usum amicitiae versari, ut meminissent, eam ad graves inimicitias posse converti.*	W. B. Bias. *Ita etiam aiebat homines oportere in usu amicitiae servari, ut meminerint eas ad gravissimas inimicitias posse converti.*

quibuscum conferas Biantis dictum apud Diog. Laert. 1, 5, 85 φιλεῖν ὡς μισήσοντας et Cic. de amicitia cap. 16, 59. Vincentium Caecilii verba reddere existimo.

L. 3, 58. De dictis Socratis moralibus. ‚Actor. Huius quoque sententiae laudabiles inveniuntur tales.' Par. 42. 34. 35. 40. 45. 46. 47. 51. 53. 55. 55b. 56. 59. 60.

61. 62. 63. 65. 72. 73. 76. 78. 79. 81. 66. 67. ‚Quae supra nos, nihil ad nos'. (= sp. d. 5, 49 et W. B. Socr. Lact. instit. div. 3, 20. Minuc. Fel. Octav. 13. *Τὰ ὑπὲρ ἡμᾶς οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς*. Arsen. Viol. 48, 53.) In fine capitis haec leguntur: ‚Actor. Haec de gestis et dictis Socratis *ex diversis locis collegimus;* ceterum de morte eiusdem inferius suo loco dicendum reservamus.' Actorem ne cum Duebnero (praef. ad Iustinum pag. XIV) scriptorem medii aevi esse existimes, sed idem esse puta quod Auctor. Hoc igitur vocabulo Vinc. Bell. plerumque semet ipsum loquentem inducit, interdum etiam eum scriptorem significat, cui se in aliqua operis sui parte praecipue addixit.

3, 67. De Xenophonte Socratico. ‚Actor. De Xenophonte refert A. Gellius, quod . . . . Huius dicitur esse illa sententia, quam' etc. = Lind. § 16, ubi conf. adnot. Inde manavit Walteri B. error, qui Caecilianam sententiam apud Agellium legi scribit. ‚Huius autem' etc. = P 17.

3, 70. De Speusippo Platonico. Cfr. ad Par. 20.

3, 79. De quibusdam dictis Platonis. P 14; M VI (= P 15); M XLVIII, 9 (= P 16). Mors philosophantibus appetenda est, ipsaque philosophia est meditatio mortis. (= Macr. comm. in somn. Scip. I. 13, 5. Hieron. ‚Sententia Platonis est, quod summa philosophia est mortis meditatio.') S Pol. 3, 14, 10; M XXXIX, 5.

3, 82. De Aristotele et dictis eius. P 13. *Sciscitante autem Alexandro, quo docente se profiteretur scientem, Rebus, inquit, ipsis, quae non noverunt mentiri.* (= W. B. Aristot. Videtur esse Caecilii.) Huius quoque sententiae istae sunt: *Numquam verecundiores esse videmur, quam cum de diis agitur.* (= W. B. Arist.) M XXII, 4 (= P 12); M XXXIV, 2 (= P 11). Si lynceis oculis homines uterentur . . . . infirmitas. (= Boeth. de cons. philos. 3, 8.) Idem Aristoteles, Adversum inimicos, inquit, etc. = P 10.

3, 91. Demosthenes. Actor. Huius Demosthenis *legitur* esse illa sententia: Liberi etc. = P 9.

Lib. 4, cap. 14. De Xenocrate philosopho. M XXVI, 1 = P 4.

4, 41. De dictis Epicuri moralibus. Vix latere crediderim in hoc capite Caecilii fragmenta, cum omnia fere ex Seneca sint desumpta.

Lib. 5, cap. 2. De Theophrasto philosopho et dictis eius. Huius Theophrasti dicitur esse illa sententia: Expedit . . . . probare = M XV, 7 (P 26). Et illa: Ex inimico . . . . decipies = P 26. 27. Huius quoque sententia fuit: *Amantium caeca esse iudicia.* (= sp. d. 5, 92.)

b) *Speculum doctrinale.*

Lib. 4, cap. 26. Socr. P 40. 55. 55[b]. Oriente . . . . ira.

4, 27. Socr. P 42. Melius . . . . pavere.

4, 51. Socr. P 59 = M I, 13.

4, 60. Demosthenes orator. Liberi . . . . miscet. P 9.

4, 67. Ex proverbiis Sap. M I, 29.

4, 83. Aristoteles. P 10. 12. (= M XXII, 4) 11. (= M XXXIV, 2.)

4, 92. Socr. M XXIII, 3. (= P 78.)

4, 94. Socr. Velox . . . . ira = P 55. 55b. Cfr. sp. d. 4, 26.

4, 96. Socr. Oriente sole etc. = P 40. Cfr. sp. d. 4, 26.

4, 125. Socr. Stultum . . . . possit. P 35.

4, 130. Socr. M I, 16 = P 60.

4, 132. Ex proverbiis Sap. Ab alio etc. = M I, 29. Cfr. sp. d. 4, 67.

4, 133. Ex proverbiis Sap. M XV, 15.

4, 167. Socr. M I, 25. (= P 76.)

4, 168. P 20.

4, 170. Socr. Sepultus . . . . audieris. M XXIII, 3. (= P 78.) Cfr. sp. d. 4, 92.

4, 172. Xenophon. Ego conscientia teste didici maledicta contemnere = Lind. § 16.

Lib. 5, cap. 1. Qui multarum . . . . possit. P 34. 35. (Cfr. sp. d. 4, 125.) Idem. Age etc. P 45. P 72. (= M I, 20.) P 73. (= M I, 21.) P 79. (= M XXII, 3.)

5, 7. Helinandus in Chronicis. Plato etc. M XXXIX, 5.

5, 8. Hermogenes. P 8.

5, 17. Plato. Illa . . . . desine. P 14. 15. (= M VI.) 16. (= M XLVIII, 9.)

5, 22. Socrates. P 81.

5, 40. Socr. Age sic etc. P 45. (Cfr. sp. d. 5, 1.) P 47. 51.

5, 49. Socr. Quae supra nos, nihil ad nos. Cfr. sp. h. 3, 58.

5, 75. Socr. P 66. 67.

5, 92. Cleobolus. P. 25. Bias Prieneus. P. 23. (Cfr. sp. h. 2, 120.) Theophrastus. Amantium caeca sunt iudicia. Cfr. sp. h. 5, 2.

5, 126. Ex prov. Sap. Cfr. ad M XVII, 2.

Lib. 6, cap. 3. Hieronymus contra Iovinianum li. I. Duellus qui primus Romae etc. Lind. 3.

6, 14. Socr. P 56. (= M XV, 10.) P 61. (= M XV, 13.) P 62. Theophrastus. M XV, 7. (= P 26.)

6, 15. Dicit Demas philosophus etc. M XXXVI. (= P 19.)

Lib. 7, cap. 30. Iul. Caesar dicere solitus erat etc. M XLI, 1. 2. Plato. M XXXIX, 5. (Cfr. sp. h. 3, 79.)

c) *Speculum morale.*

Lib. I, p. 3. distrib. 38. Pythagoras. M XLVIII, 6.

Lib. III, p. 3. distrib. 11. Ex praefatione Caec. Balbi. Cfr. supra pg. 3.

III, 4, 1. Seneca. Utinam etc. M X, 2.

III, 5, 2. Lysander. Lind. 12. Socrates. M XXII, 3. 4.

III, 7, 2. Pythagoras philosophus. Brevis aetatis esse nihil avaros (*scrib.* avaros; nihil) de suo uti licere. Idem cuidam locupleti dixit: Stulte . . . . alges. M XII, 3, 4.

III, 9, 3. Legitur in proverbiis philosophorum etc. M I, 1.

Locos I, 3, 104 (= Lind. 1); III, 3, 23 (= M XVII, b); III, 7, 2 (= Lind. 1); III, 8, 1 (= M XI, 2) infra exscripsi cap. 12.

9. WALTERUS BURLEIUS. ALBERTUS AB EYB.

Incerto nitimur disputationis fundamento ad Walteri Burleii Angli librum transituri, qui inscribitur de vita et moribus philosophorum. Nam quae exstant huius libri editiones, XV pleraeque et XVI seculi ineuntis, nondum ad artis criticae leges exactae mirum est quantum inter se discrepent, eaque, qua ego usus sum, licet sit antiquissima anni 1473, tot mendis, lacunis, corruptelis, vitiorum omni genere abundat, ut me desiderio novae huius libelli editionis per tria iam secula neglecti et ne semel quidem, quod sciam, typis repetiti quam maxime impleverit. Huc iam accedit, quod de auctore huius libri haudquaquam constet inter viros doctos nec firmis argumentis nitantur, qui eum Waltero Burleio vindicant. (Cfr. Vossium de hist. lat. Fabric. Bibl. med. lat. I. p. 325. 840. III. p. 483.) Nihilominus ipsam rem aggrediamur necesse est.

Editionum igitur plura videntur esse genera. Ea quae mihi ad manus fuit, forma maxima impressa 41 foliis ipsum continet Walteri B. libellum in 135 capita divisum, cuius in fine, (fol. 41 recto) hi leguntur versiculi:

Walteri Burley Anglici in vitas philosophorum.
Cernitur hic finis laus Christo nescia finis.
Egregios veterum mores speculare virorum.
Quos duce natura tradiderunt mente secura.
Qui vult ergo legat dominum post hoc benedicat.

Sequitur fol. 41 verso »tabula super libro praecedenti satis utilis,« i. e. index sententiarum, et fol. 47 verso: »Explicit tabula de dictis et factis nobilissimorum philosophorum. 1473.« Denique lectoris gratia nomina philosophorum poetarumque ordine adscribenda esse putavi; sunt igitur haec:

Thales, Solon, Chilo, Pittacus, Bias, Cleobulus, Periander, Zoroaster, Anaximander, (10) Anacharsis, Myso, Epimenides, Pherecydes, Homerus, Lycurgus, Anaximenes, Pythagoras, Anaxagoras, Crates, (20) Stilpon, Archilochus, Simonides, Archytas, Aesopus, Zeno Citiensis, Gorgias, Isocrates, Protagoras, Crispus (leg. Chrysippus), (30) Socrates, Aristippus, Xenophon, Antisthenes, Alcibiades, Aeschines, Euripides philosophus, Demosthenes, Sophocles, Pericles, (40) Themistocles, Aristides, Eudoxus, Aratus, Democritus, Hippocrates, Euripides, Heraclitus, Empedocles, Parmenides, (50) Diogenes, Carneades, Plato, Aristoteles,

Xenophilus, Phaedon, Aeschylus, Speusippus, Apuleius, Plotinus, (60) Hermes, Xenocrates, Demas, Anaximenes, Epicurus, Polystratus et Hippoclides, Callisthenes, Anaxarchus, Theophrastus, Diodorus, (70) Polemo, Antipater, Arcesilaus, Erasistratus, Archimedes, Ptolemaeus, Menander, Philemon, Zeno, alius Zeno, (80) Hegesias, Ennius, Aristarchus, Pacuvius, Statius, Catullus, Plotinus, Panaetius, Livius, Posidonius, (90) Cato, M. Calidius, Diodorus Siculus, Curio, Scipio, Tullius Cicero, Cato Stoicus, Diogenes Babylonius, Antipater, Sallustius, (100) Plautus Animancius (i. e. Munatius Plancus), Lucretius, L. Pomponius Bononiensis, Plautus*), Virgilius, I. Celsus, Accius, Terentius, Varro, Gallus Cornelius, (110) Horatius, Sextus, Athenodorus, Verrius Flaccus, Ovidius, Valerius, Chalcenterus, Seneca, Iuvenalis, Persius, (120) Quinctilianus, Plutarchus, Plinius, Ptolemaeus, Secundus, Apollonius, Basilides, Taurus, Galenus, Trogus, (130) Porphyrius, Claudianus, Symmachus, Priscianus, Franc. Petrarca († 1374), Boethius.

Longe differt ab hac editione alia quaedam bibliothecae publ. Basil. (D. A. III. 31.) Continet ea 119 capita; desunt enim Aristarchus, L. Pomponius, Athenodorus, Verrius Flaccus, Ovidius, Valerius, Chalcenterus, Iuvenalis, Persius, Quinctilianus, Plutarchus, Plinius, Ptolemaeus, Secundus, Taurus, Franc. Petrarca et Boethius, illudque caput, quod est de Seneca, auctum et in fine totius operis collocatum est.

Tertia editio, cuius variam lectionem passim in adnotationibus ad Socratis sententias pag. 41 et 42 protuli, ea est, qua Maur. Hauptius usus est. Cfr. Schneidew. philol. III. p. 376.

Exorditur igitur W. B. his verbis: »De vita et moribus philosophorum veterum tractaturus multa, quae ab antiquis autoribus in diversis libris de ipsorum gestis sparsim scripta repperi, in unum colligere laboravi: plurima quoque eorum notabilia responsa et dicta elegantia huic libello inserui, quae ad legentium consolationem et morum informationem conferre valebunt.« Singulorum capitum hic est plerumque ordo, ut primum ex Diogene Laertio maxime, Cicerone, Valerio Maximo, Seneca, Gellio, Hieronymo, aliis congerantur, quae de singulorum philosophorum vita comperta habemus, tum celebria eorum dicta sententiaeque subiiciantur, in fine denique pauca de eorum scriptis, aetate (claruit temporibus . . . .) ac morte addantur. Quae cum ego perlustrarem, haec inveni Caeciliana:

S o l o n. Huius hae leguntur sententiae: Saturitas etc. = Diog. L. I. 2, 59. 57. 60. (1) Probitatem iureiurando certiorem habe; cuius *enim* dictum non habet ius-

---

*) ‚Plautus poeta comicus *Tullii discipulus* Romae claruit etc.' Huius erroris originem reperisse mihi videor collato cap. centesimo, ‚Plautus Animancius (intellige Munatium Plancum) *Ciceronis discipulus* orator insignis Romae claruit,' unde suppleas, quae V. Cl. Fr. Ritschelius disputavit Parerg. Plaut. v. I. p. 66. || S o l o n. § 1. Priora sunt Diog. L. I. 2, 60: *Καλοκαγαθίαν ὅρκου πιστοτέραν ἔχε.* reliqua consentiunt cum Mon. 38, 4. Videtur igitur W. B. suo arbitrio Diog. L. et Caecilii locos in unam sententiam conflasse.

iurandi pondus, eius quoque iusiurandum vile est. Amicos etc. = Diog. L. I. 2, 60. (2) Esse communis etc. = M 39, 3. Neminem etc. = Val. Max. VII. 2, e. 2. (3) Rerum initia debentur fortunae, philosophiam solam consecrat finis. (4) Nihil est autem homini metuendum, nisi ne philosophiam finis excludat.

Responsa*) eius ad quaedam quaesita sunt haec: Quid est verbum? imago operum etc. = Diog. L. I, 2, 58. (5) Cum in loco etc. = M 26, 4. (6) Interrogatus a quodam divite, cum ipse pauper esset, an thesauros haberet, ait diviti: Tu et ego thesauros habemus, sed inter meum et tuum hoc interest, quoniam (quod?) de meo nullus me invito quicquam potest contingere, et si aliis distribuo, diminutionem non patitur: tuus autem amissionis cotidie patitur discrimen etiam te invito, et si alteri vel modicum tribuis, semper minuitur. (7) Interrogatus, qualis esse debeat populi rector, ait: Prius se, quam populum, rectificare debet; alioquin erit, velut qui umbram curvam rectificare conatur, priusquam virga curva umbram faciens recta fiat. (8) Interrogatus, quid acutius gladio, ait: Pravi hominis lingua. (9) Interrogatus, quis esset liberalis, ait: Qui sua bona libenter aliis impartitur et alienarum rerum cupiditate caret. (10) Interrogatus, qualiter civitas bene regi posset, ait: Si princeps et maiores secundum leges vixerint. (11) Interrogatus, quo fieri posset, ut non tantum se offenderent homines, ait: Si eo modo non passi iniuriam gravarentur, ut passi. — Scripsit autem Solon utilia multa etc.

Caecilio igitur vindicanda esse arbitror, quae plene exscripsi omnia, exceptis tantum responsis illis post § 4 ex Diog. L. I. 2, 58, ut videtur, descriptis: nam paragraphum 11 cur Caecilio abiudicemus, nulla causa est.

Chilo. Interrogatus, in quo differunt etc. = Diog. L. I. 3, 69. (1) Interrogatus autem, quid est fortuna etc. = M 13, 3. Docebat autem hoc: Dominari linguae etc. = Diog. L. I. 3, 69. 70. (2) Dicebat etiam tristia cuncta exsuperari posse animo et amico. (3) Item dicebat, has duas affectiones, scilicet amorem et odium, licet ferocissimas sic esse coercendas, ut amicos diligat quis tanquam forte quandoque odio habiturus, et inimicos tanquam postea amaturus. — Fuit autem Chilo breviloquus etc. = Diog. L. l. c. 73: *Βραχύλογός τε ἦν* etc.

Bias. Huius hae feruntur esse sententiae, ut ait Laertius in libro de vita philosophorum: Honestius et senibus etc. = Diog. L. I. 5, 85. 86. Molestius est etc. = Diog. L. l. c. 87. [Cfr. ad Par. 23. Quamquam W. B. Diogenem ante oculos habuisse videtur,

---

§ 3 et 4 apud nescio quem scriptorem legere memini. || *) Cfr. Secundi responsa ap. Vinc. B. sp. h. 10, 72 (Orelli, opusc. Graec. sent. et mor. vol. I. p. 228): ‚Quid est verbum? Proditor animi etc.' || § 11. Diog. L. I, 2, 59: *Ἐρωτηθεὶς . . . . πῶς τε ἥκιστα ἀδικοῖεν οἱ ἄνθρωποι, Εἰ ὁμοίως, ἔφη, ἄχθοιντο τοῖς ἀδικουμένοις οἱ μὴ ἀδικούμενοι.* Plut. Sol. 18 extr. Stob. floril. 43, 77. || Chilo. § 3. Cfr. W. B. Bias § 1.

ut patet ex sequentibus: Nam amicorum quidem etc.' quae apud solum D. L. exstant.] Vitam vero etc. = D. L. l. c. 87. 88. (1) Ita etiam aiebat etc. (2) Diu deliberatos etc. = M 15, 1. (3) Amicos sequere etc. = M 15, 2. (4) Amici vitam etc. = M 15, 3. (5) Consilio duo etc. = M 28, 5. P 5. (6) Diem perisse etc. = M 14, 4. (7) Celeritas etc. = M 14, 5. (8) Interrogatus Bias, quid sit in hac vita optimum, ait: Mens sibi bonae rectitudinis conscia. — Interrogatus, quis sit etc. = Diog. L. l. c. 86.

Cleobulus. Celebrium autem sententiarum eius sunt approbatae hae: Amico benefac etc. = Diog. L. I. 6, 91. (1) Magis amicorum etc. = P 25. (2) Quanto plus licet, tanto libeat minus. — Cum quis exierit etc. = Diog. L. l. c. 92. 93.

Epimenides. (1) Cum rex Persarum etc. = M 11, 1 (Epaminondas.) (2) Idem aiebat pecuniam etc. = M 12, 1.

Pythagoras. Item de dictis eius notabilibus habentur haec: Fuganda sunt etc. = V. B. sp. h. 3, 25. [Hieron. c. Ruffin. 3, 39. Pseudoseneca de moribus 144. 145. I. Sar. Pol. 8, 15 fin.] (1) Item dicebat etc. = M 7, 1. (2) Liber non est etc. = M 7, 2. (3) Vir si optimus est etc. = M 22, 2. (4) Loqui ignorat, qui tacere nescit. (5) Duo lacrimarum genera etc. = M 17, 5. (6) Avari homines etc. = M 12, 3. (7) Cuidam avaro etc. = M 12, 4. (8) Interrogavit quidam Pythagoram, si cuperet esse dives. Qui ait: Divitias contempno habere, quae liberalitate perduntur et parcitate putrescunt. (9) Vidit Pythagoras quendam indutum vestibus, qui turpia loquebatur. Qui ait illi: Aut loquaris sermones tuis vestibus similes aut pannos induas tuis eloquiis congruentes. (10) Cum quidam stolidus etc. = M 1, 1. (11) Interrogatus, quid est in mundo novum, ait: Nihil. (12) Interrogatus, quid est philosophia, ait: Meditatio mortis nitens cotidie de carcere corporis educere libertatem. —

Simonides. (1) Interrogatus est Simonides quomodo etc. = M 10, 1. (2) Interrogatus, quid inter etc. = P 33. Huius fuerunt hae sententiae: (3) Tutius est tacere etc. = M 26, 2. 3 (Diogenes). (4) Remedium malorum etc. = M 25, 2 (Salon). (5) In adversis etc. = M 25, 2. (6) Fortuna innocentem etc. = M 25, 3 (Pythagoras).

Bias. § 1. Vide supra Vinc. B. sp. h. 2, 120 pag. 52. Diog. L. I. 5, 87 simpliciter: *φιλεῖν ὡς μισήσοντας· τοὺς γὰρ πλείστους εἶναι κακούς.* || § 8. Ausonius VII sap. sent. septenis versibus expl. Bias: Quaenam summa boni? mens, quae sibi conscia recti. || Cleobulus. § 2. Auson. VII sap. sent. septenis vers. expl. Cleob. ‚Quanto plus liceat, tam libeat minus.' Hanc tamen sententiam ex ipso Caecilio descripsisse Walterum B. puto, quippe quem Ausonio usum esse non meminerim; Pythag. § 4 certe cum eo dissidet. Cfr. Seneca Troad. v. 333: Pyrrhus. Quodcunque libet facere victori, licet. Agamemnon. Minimum decet libere, cui multum licet. || Pythagoras. § 4. Quamvis haec sententia reperiatur ap. Vinc. B. sp d. 4, 92; sp. m. 3, 1, 4; Pseudosen. de mor. 132, alios, receperim tamen inter Caecilii fragmenta hanc potissimum ob causam, quod hic aliis Caecilianis quasi intermixta est. Pittaco tribuit Auson. VII sap. sent. sept. vers. expl. ‚Loqui ignorabit, cum (al. *qui*) tacere nesciet.' || § 12. Cfr. supra pg. 53 Vinc. B. sp. h. 3, 79 Platonis: ‚ipsaque philosophia est meditatio moriendi.' Macrob. comm. in somn. Scip. I. 13, 5 seqq.

Zeno Citiensis. (1) Hic viro et uxori etc. = M 27, 5. Huius sunt istae sententiae: (2) Sepultus apud te etc. = M 23, 3 (Socr.). (3) Malum hominem etc. = M 24, 1. (4) Cuidam loquaci etc. = M 27, 6.

Socrates. Praemissis multis ex Hieronymo, Seneca, Isidoro, Agellio, Diogene Laertio, Seneca, Theoderico sic pergit W. B.:

(1) Interrogatus a quodam inope etc. = M 11, 3. (2) Cum garrulus quidam etc. = M 27, 3. (3) Interrogatus, quid est homo sine scientia, ait: Sicut provincia sine rege. (4) Interrogatus, quae est substantia beatitudinis, respondit: Donare dignis. — Interrogatus, quae est virtus etc. = Diog. L. II. 5, 32. Interrogatus a quodam iuvene etc. = Val. Max. VII. 2, e. 1. I. Sar. Pol. 8, 11. Diog. L. II. 5, 33. Interrogatus a quodam etc. = Seneca epist. 28, 2. (5) Interrogatus, in quo quis famam etc. = M 43, 1. (6) Interrogatus, qualiter quis ad culmen sapientiae pervenire possit, respondit, Neminem in sapientia locupletem posse fieri, ut doceat, nisi se ad discendum pauperem et egenum credat. Interrogatus a quodam, ut ait Tullius etc. = Tuscul. V. 37, 108. (7) Cum Socrates quosdam etc. = M 11, 2. (8) Cum quidam ex eius doctrina etc. = M 17, b. Item docebat Socrates = Macr. Sat. VII. 4, 32. (9) Dicebat eos etiam, qui temporalia magno emebant pretio, desperate ad temporalia pervenire. (10) Dicebat etiam se admirari etc. = D. Laert. II. 5, 33.

De *dictis Socratis notabilibus sive proverbiis* habentur haec: P 40. 45. 55b. 55. 61. 62. 56. (M 15, 10) 59. (M 1, 13) M 14, 1. P 60. (M 1, 16) P 72. (M 1, 20) 73. (M 1, 21) 78. (M 23, 3) 79. (M 22, 3) M 13, 2. 79. (M 22, 3) 12. (M 22, 4) M 22, 5. P 34. 35. 38. 41. 42. 44. 46. 47. 48. 49. 50. 43. 51. 52. 53. 54. 57. 58. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 74. 80. 81. 82. 75. (M 1, 24) 76. (M 1, 25) M 1, 28. 29. 30. 31. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 9. 10. 11. M 2, 1. 2. 8, 3. 9. 10, 4. 2. 3. 12, 7. 6. 17, 2. (11) Sicut nihil superius benigna coniuge, ita nihil infesta muliere crudelius. Quanto *enim* sapiens mulier se pro viri salute opponit, tanto maligna ad mariti mortem etiam vitam suam reputat. Nihil *ergo* illa coniuge molestius: quae quantum in re coniunctior est, tanto est disiunctior morum dulcedine aut felle malitiae. Est *igitur* uxor aut tutum refugium aut penale tormentum. (12) Animo virum etc. = M 17, 3. 3b. (13) Mulier speciosa etc. = M 17, 4. Solertiam autem commendabat Socrates ut optimam possessionem. Dicebat etiam unum etc. = Diog. L. II. 5, 31. (14) Dicebat insuper talem esse hominem, qualis affectus eius est, et quod talis oratio hominis est, qualis ipse homo est. Item dicebat etc. = Val. Max. VII. 2, e. 1. Huius etiam haec sententia fuit: Expedita et compendiosa etc. = Val.

Socrates. § 6. Val. Max. VIII. 7, e. 8: Ergo dum ad discendum semper se pauperem credidit (scil. Socrates), ad docendum fecit locupletissimum. || § 14. Sen. epist. 114, 2: Hoc quod audire volgo soles, quod apud Graecos in proverbium cessit, Talis hominibus fuit oratio, qualis vita. Pseudosen. de mor. 73: Qualis vir, talis oratio.

Max. VII. 2, e. 1. [Cfr. etiam ad Mon. 1, 12] (15) Quidam interrogavit, an beatum putaret Archelaum, Persarum regem, qui fortunatissimus erat. Nescio, inquit; numquam cum eo locutus sum. Et ille: Numquid hoc aliter scire potes. Ait: Non, cum ignorem, quam bonus, et quam doctus sit: miser enim est, si iniustus est. (16) Interrogatus est de duobus, quorum unus dives erat et potens, alius inops, quis eorum maior esset. At ille, inquit, ex eis maior est, qui virtuosior est. — Accusatus est Socrates etc.

Aristippus. . . . . Qui, ut ait Laertius in libro de vita philosophorum ad Dionysium etc. = Diog. L. II. 8, 66. 67. 68. 69. 70. 71. Haec autem omnia de Aristippo scribit Laertius in libro secundo de vita philosophorum. (1) Cuidam dicenti sibi etc. = M 2, 3. — Victorinus (i. e. Vitruvius) in libro de architectura . . . . Scripsit autem librum de veterum voluptate aliosque libros quam plurimos.

Xenophon. Agellius de Xenophonte sic ait: Cum quidam ei malediceret etc. = Lind. 16.

Antisthenes. (1) Cuidam dicenti, Maledixit etc. = M 35, 2. (2) Alteri dicenti etc. = M 35, 3. I. Sar. Pol. III. 14, 6. Hinc (Huius?) illa sententia fuit: (3) Inscientia est etc. = M 27, 2.

Demosthenes. (1) Cum quidam diceret etc. = M 15, 5 Menefranes. (2) Dum quidam speciosus etc. = M 33, 1. (3) Inquirenti cuidam etc. = M 43, 2 Socr. (4) Huius Demosthenis legitur illa fuisse sententia: Liberi servique etc. = P 9.

Democritus. (1) Interrogatus Democritus etc. = M 3, 5 Democrates. (2) In convivio taceuti etc. = M 26, 5 Theocritus. Huius hae fuerunt sententiae: (3) Convenientius est etc. = M 11, 4 Pythagoras. (4) Parcitas necessitatis etc. = M 11, 5.

Diogenes. Praemittuntur quaedam ex August. de civ. Dei l. XVIII; I. Sar. Pol. 5, 17; Val. Max. IV. 4, e. 4; Sen. de benef. V. 6, 2; Macr. Sat. VII. 3, 21; Helinandi lib. XVII; Val. Max. IV. 3, e. 4; Agellii II. 18, 9; Sen. de tranq. an. 8, 7; Cic. Tusc. III. 23, 56; Sen. de ira III. 38, 1. 2. Sequuntur haec:

> (1) Alius verbis dehonestavit Diogenem, et cum illo non respondente interrogaret quidam, cur maledicenti non daret responsum, ait: Nolo contendere cum homine super re, in qua qui obtinet, vilior reputatur. (2) Alius similiter dehonestavit eum verbis contumeliosis et non respondit; et dixerunt ei, Quare non respondes? Ait: Non pos-

---

§ 15. Cfr Diog. L. II. 5, 28 et Sen. de benef. 5, 6, quem locum ipse W. B. supra citaverat. || Aristippus. § 1. Idem dictum Diog. L. VI. 2, 58 Diogeni Cynico tribuit: noster tamen procul dubio Caecilium secutus est. || Xenophon. In errorem incidit W. B. leviter tantum inspecto Vinc. B. sp. h. 3, 67. Vide supra pag. 53. || Diogenes. § 1. Stob. flor. 19, 4: *Δημοσθένης λοιδορουμένου τινὸς αὐτῷ Οὐ συγκαταβαίνω, εἶπεν, εἰς ἀγῶνα, ἐν ᾧ ὁ ἡττώμενος τοῦ νικῶντός ἐστι κρείττων.* Cfr. P. Syr. 919 Zell: Vinci expedit, damnosa ubi est victoria.

sum ego illi tantam in respondendo dehonestatem inferre, quantam [sibi] sic loquendo contulit sibi ipsi. (3) Alius rursum dehonestavit illum verbis contumeliosis, nec indignatus est. Et dixerunt ei: Quare non indignaris? Et respondit: Hic dehonestator meus aut est veridicus aut mendax; si veridicus, propter veritatem non irascar; si est mendax, deest indignationis causa, ex quo ipse non novit, quid dixerit. (4) Cum quidam ei referret etc = M 24, 3. (5) Cum quidam ei nuntiasset etc. = Lind. 17. M 45. I. Sar. Pol. III. 14, 9. (6) Superet autem etc. = P 17. (7) Interrogatus fuit Diogenes, quid agendum sit homini, ut non irascatur. Qui ait: Recordetur homo, quod non semper necesse est, quod serviatur illi; immo vice versa est alteri serviturus; nec oportet, ut iugiter obediatur illi, sed interdum oportet, ut obediat alteri. Nec necesse est, ut semper ab aliis toleretur, sed quandoque patiatur et ipse. Cum haec fecerit, debilitabitur ira eius. (8) Fertur de Diogene etc. = M 14, 2. (9) Dum Alexander rex coram Diogene transiret, Diogenes tamquam illum spernens non respexit eum. Cui dixit Alexander: Quid est, quod me non respicis, quasi me non indigeas? Cui ille: Ad quid necesse habeo servum servorum meorum? Et Alexander: Numquid ego servorum tuorum servus sum? Ait: Sic, quia ego praevaleo cupiditatibus meis, refrenans illas et subiciens eas mihi, ut mihi serviant; tibi autem cupiditates praevalent et tu servus earum efficeris, illarum obtemperans iussioni. Servus igitur es servorum meorum. (10) Alia vice dum praesente Diogene versificator quidam extolleret multis laudibus Alexandrum praesentem, assumens Diogenes panem coepit comedere. Cui dixerunt: Quid agis? Ait: Utilius est sic facere quam audire mendacia. (11) Cum quidam homo etc. = M 16. (12) Hic cum vidisset iuvenem bonorum morum, facie tamen turpi, ait: Animae illius bonitas dat multum pulchritudinis faciei illius. (13) Item, cum vidisset quendam decorum facie et moribus inhonestum, ait: O quam bona domus et malus hospes. (14) Item vidit quendam idiotam sedentem super lapidem et ait: Lapis super lapidem. (15) Consueverat Diogenes dehonestare homines scientiam odientes, et quodam die ascendens in locum eminentem alta voce clamavit: O vos homines, convenite. Et convenientibus multis ait: Non vos voco, sed homines; vos enim bestiae estis, qui secundum rationem non vivitis et sapientiae non studetis. (16) Item vidit Diogenes iuvenem decorum sapientiam addiscentem. Cui dixit: Bene agis; nam vis animae tuae pulchritudinem tui aspectus pulchritudini convenire. (17) Infirmatus est quandoque Diogenes, et cum eum confortarent amici

---

§ 14. Vid. Paroem. append. edit. Gotting. 3, 68: *λίθῳ λαλεῖς. ἐπὶ τῶν ἀναισθήτων* et quae ad hunc locum monuit Leutschius. || § 15. Cfr. Diog. L. VI. 2, 32: *Φωνήσας ποτέ, Ἰὼ ἄνθρωποι, συνελθόντων καθίκετο τῇ βακτηρίᾳ, εἰπών, Ἀνθρώπους ἐκάλεσα, οὐ καθάρματα, ὥς φησιν Ἑκάτων ἐν τῷ πρώτῳ τῶν Χρειῶν.* || § 16. Anton. et Max. *περὶ κάλλους: Διογένης θεασάμενος μειράκιον εὔμορφον καὶ διὰ τοῦτο φιλούμενον, ἔφη· Σπούδασον, μειράκιον, τοὺς τοῦ σώματος ἐραστὰς εἰς τὴν ψυχὴν μεταγαγεῖν.*

dicentes, Non timeas; quia hoc a deo est; qui ait: Propter hoc magis timeo. (18) Cum illi de suo capite etc. = M 46. (19) Dum (Cum?) vidisset quendam filiam sepelientem, ait: Hodie bonum generum suscepisti. (20) Interrogatus Diogenes, cur Cynicus, id est caninus vocaretur a philosophis, ait: Quia latro ignorantibus et blandior sapientibus. (21) Interrogatus, cur tam magnam nutriret barbam, ait: Ut eam citius videns et tangens virum me esse meminerim. = Lind. 12; M 19, 1. (22) Interrogatus, cur homines abhorreret nec vellet cum eis vivere, ait: Malos horreo propter malam eorum vitam, bonos vero, quia vivunt cum malis. (23) Interrogatus, a quibus homo cavere debeat, ait: Ab invidia amici et fraudibus inimici. (24) Interrogatus, quae hora esset comestioni congrua, ait: Habenti quod comedat hora est congrua, cum famescit; non habenti vero, quando habere potest. (25) Interrogatus, Quid est infirmitas? ait: Corporis carcer. (26) Interrogatus, Quid est tristitia? ait: Carcer animae. (27) Dum (Cum?) quidam laetanter diceret Diogeni, se de novo uxorem duxisse, ait illi: Parvum solatium et magnam sollicitudinem es lucratus. (28) Vidit Diogenes senem quendam tingentem capillos, et ait illi, Quia canos occultas, non propter hoc senectutem abscondis. (29) Item vidit insipientem hominem cum anulo aureo et dixit: Magis te decorat aurum, quam ornat. (30) Cum quidam garrulus sophista Diogeni diceret, Quod ego sum, tu non es; ego sum homo, ergo tu non es homo, ait Diogenes: Hoc, quod concludis, falsum est, quia a te incepisti; sed si vis verum id fieri, a me incipe et in te conclude. (31) Interrogatus Diogenes a quodam, in quo turbari facere posset inimicum suum, ait illi: Cum tu sis valde bonus.

Ex celebribus eius sententiis repertae sunt istae: (32) Ad emendationem sui etc. = M 5, 2. (33) Vulgi imperitiam etc. = M 47, 2. (34) Iudex bonus etc. = M 48, 1. (35) Qui innocentem etc. = M 48, 2. (36) Conscientia teste nullae sunt etc. = P 1 Ciceronis. (37) Omnium inimicus etc. = P 2. (38) Si bonus vis fieri, a te expelle, quod in alio despicis. (39) Melius est, medicum adire, quam accersire: quaerere igitur medelam, donec sanus fueris, melius est, quam tunc medicum requirere, cum naturam exsuperaverit aegritudo. Sic est igitur circa curam animi procedendum. (40) Si quis dixerit tibi bonum consilium, praesta illi cum amore obedientiam. (41) Item dicebat Diogenes: Cum videris canem dimittentem dominum suum et sequi te, cum lapidibus ipsum repelle, quia relinquet te, sicut reliquit illum. —

§ 20. Diog. L. VI. 2, 60: *Ἐρωτηθεὶς, τί ποιῶν κύων καλεῖται, ἔφη, Τοὺς μὲν διδόντας σαίνων, τοὺς δὲ μὴ διδόντας ὑλακῶν, τοὺς δὲ πονηροὺς δάκνων.* || § 24. Diog. L. VI. 2, 40: *Πρὸς τὸν πυθόμενον, ποίᾳ ὥρᾳ δεῖ ἀριστᾶν; Εἰ μὲν πλούσιος, ἔφη, ὅταν θέλῃ, εἰ δὲ πένης, ὅταν ἔχῃ.* || § 31. Plut. de aud. poetis. p. 21 E. et de capienda ex inim. util. p. 88 B: *Διογένης ἐρωτηθεὶς, ὅπως ἂν τις ἀμύναιτο τὸν ἐχθρὸν, Αὐτὸς, ἔφη, καλὸς κἀγαθὸς γενόμενος.*

Cum Diogenes ad agonem Olympiacum etc. = I. Sar. Pol. 5, 17. Hieron. adv. Iovin. 2, 14. Moriens autem etc. = Cic. Tusc. 1, 43. Claruit autem Diogenes temporibus Alexandri Magni.

Plato. Citantur loca ex Diog. L. lib. III. cap. 1; Val. M. I. 6, e. 3; I. Sar. Pol. 1, 17 (?); eiusd. Pol. 7, 5 pr. Hieron. c. Iovin. 3, 9; Cic. Tusc. 5, 35, 100; Macr. comm. in somn. Scip. I. 13, 5; Val. M. IV. 1, e. 2; I. S. Pol. 8, 12. Sequuntur haec:

(1) Interrogatus Plato, in quo quis sapientiam addiscere possit, ait: In non exspectando, quae evenire non possunt, nec de praeteritis recordari. (2) Interrogatus, Per quid cognoscitur sapiens? ait: Sapiens, cum vituperatur, non irascitur et non extollitur, cum laudatur. (3) Interrogatus, per quid homines cognoscuntur, ait: Homines et vasa testea simili modo probamus; illa quidem in sono, hos vero in sermone cognoscimus. (4) Interrogatus, quanto censu debeat homo esse contentus, ait: Tantum sibi acquirat quis, quod defectum non habeat in eo, quod ei necesse est, et quod non expediat ei hominibus adulari. (5) Interrogatus, Quis est inter homines fortior? ait: Qui propriam potest iracundiam vincere. (6) Interrogatus, Quis est inter homines debilior? ait: Qui suum non potest inter homines celare secretum. (7) Interrogatus, Quis est potentior inter homines? ait: Qui suam scit abscondere paupertatem. (8) Interrogatus, Quis est inter homines temperatior? ait: Cui sufficit id, quod habet. (9) Interrogatus, Quis est homo bonorum morum? ait: Qui malorum morum hominem pati potest. (10) Interrogatus, an sit verecundum, hominem canum esse, ait: Non est verecundum seni, si capillorum albedinem, sed si morum ineptitudinem patiatur. (11) Interrogatus, qualium locorum vel urbium habitatio sit vitanda, ait: Non inhabites terram, in qua sumptus lucra superant et in qua mala praevalent bonis et ubi plurimum (plurimi?) domini (emend. *deum* cum cod. Paris. 5030 fol. 77 recto) mentiuntur. (12) Interrogatus, in quo quis principum gratiam possit obtinere, ait: Si volueris principis insipientis gratiam obtinere, ipsius sequere voluptatem (voluntatem?); si vero sapientis, quae ad rem non pertinent vel contra rationem sunt, ostendere non omittas. (13) Cum vidisset Plato Dionysium etc. = M 39, 5.

Platonis quaedam elegantia dicta sunt haec: Tunc beatus et felix etc. = Vinc. B. sp. d. 7, 15; Cic. epp. ad Q. fratr. I. 1, 10, 29; Val. M. VII. 2. e. 4. I. Sar. Pol. 4, 6 s. f. Qui rei publicae etc. = Vinc. B. sp. d. 5, 95; Cic. de off. I. 25, 85. 87. (14) Proinde est, cum subditos opprimit magistratus, ac si caput corporis adeo intumescat, ut a membris aut omnino aut sine molestia ferri non possit: hanc autem passionem sine gravissimo dolore membrorum tolerari vel curari impossibile est. Si vero incurabilis fuerit passio, sic vivere quam mori miserabilius est: miseris autem nihil est utilius, quam utramque finire miseriam. (15) Idem: Cum in subiectos

Plato. § 4. ‚In eo, quod ei necesse est.' Haec verba ad similitudinem accedere videntur loci illius corruptissimi Mon. 48, 12. 13 ‚in eo quod pecunia. Necesse est.'

potestas saevit, idem est, ac si tutor pupillum persequatur, ut cum suo mucrone iugulet, ob cuius defensionem ab eodem sibi traditum gladium accepisti. (accepit?) Rem namque publicam frui iure pupilli percelebre est, et causam tunc demum ratione procedere, cum caput eius inutile se esse cognoscat, nisi fideliter membris cohaereat. (16) Idem. Qui suam animam, quae unica est, gubernare non potest, quomodo multorum hominum gubernator erit? (17) Item dicebat: Expedit sensato, in dulcedine potuum medicinae amaritudinem (amaritudinis Cod. Par. lat. 5030) memorari. (18) Item dicebat, debere hominem in speculo saepius suam faciem intueri, quoniam, si viderit eam decoram, indigne feret agere turpe opus; si vero turpem censuerit, verebitur simul duo turpia aggregare. — Dicebat etiam Plato, duos mundos esse etc. [Caecilium non redolet. Cfr. Cic. de nat. deor. II. 12, 32.] Item dixit escam etc. = V. B. sp. h. 3, 79. Cic. fragm. pg. 484 ed. Or. (19) Si sapientiae forma oculis videri posset, ad amorem sui homines maxime incitaret. = V. B. sp. d. 5, 58; sp. h. 3, 79. (20) Non potest comprehendi forma iustitiae, nisi prius iniustitiae series discutiatur = V. B. sp. h. 3, 79. Non solum scientia etc. = V. B. sp. h. 3, 79; Cic. offic. I. 19, 63. (21) Illa est iustitia etc. = P 14. (22) Triumphus est innocentiae etc. = P 15. M 6. (23) In quem plus etc. = P 16. Mors philosophantibus etc. (= V. B. sp. h. 3, 78. 79. Macr. comm. in somn. Scip. I. 13, 5.) (24) Totius philosophiae etc. = I. Sar. P. III. 14, 10. Idem docuit duas etc. = Vinc. B. sp. h. 3, 79 ex Hieron. (25) Cum libera sit anima et domina passionum, vincere se ipsum omnium victoriarum prima est et optima; vinci autem se ipsum a se ipso turpissimum est et pessimum. (26) Idem dicebat eundem etc. = M 3, 4. (27) Disce igitur etc. = M 3, 2. (28) Litterae enim etc. = M 3, 3.

Fuit autem consuetudo Platonis, ut ait Helinandus, libros suos intitulare etc.

Aristoteles. Huius elegantia quaedam dicta sunt haec: De semet ipso etc. = V. B. sp. h. 3, 82. Val. M. VII. 2, e. 11. (1) Dicebat etiam se unum etc. = P 13. (2) Numquam verecundiores esse debemus, quam cum de diis agitur. Cf. V. B. sp. h. 3, 82. (3) Item. Viri boni etc. = P 12. (4) Iniuria iniuste etc. = P 11. (5) Adversus inimicos etc. = P 10. Si lynceis oculis etc. = V. B. l. c. Boeth. de cons. phil. 3, 8. (6) Difficile est etc. = M 15, 6. (7) Debent homines etc. = M 3, 1 Pythagoras. (8) Idem dicebat: De duobus hominum generibus vehementer admiror, scilicet de illo, in quo bona

---

§ 18. Cfr. Policr. 8, 12. || § 19. 20. Haec cum apud Vinc. quoque legi animadverterem, primum Caecilii non esse putabam; nunc iam ad Caecilium retulerim, et quia mihi ignotum est, unde sint ducta, et propter ipsius V. B. verba, quibus sp. h. l. III. cap. 79 concludit: ‚Haec de dictis Platonis ex diversis locis excerpta collegi, quae et hic inserere volui.' Iisdem plane verbis V. B. sp. h. 3, 58 f. usus est. || Aristoteles. § 2. Cic. de legg. II. 11, 26: Siquidem et illud bene dictum est a Pythagora, doctissimo viro, tum maxime et pietatem et religionem versari in animis, cum rebus divinis operam daremus.

non sunt, et tamen, si de ipso dicatur, acceptat et gaudet; et de illo, de quo mala proferuntur, quae in eo non sunt, et inde turbatur. — Sicut visus etc. = Diog. L. V. 1, 17. 18. 19. 20. 21.

Speusippus. Huius legitur esse illa sententia, quam in laudantem se protulisse fertur: Adulator etc. = P 20. Cum Epicurus etc. = Gell. n. A. IX. 5, 1. 2. 3. 4.

Xenocrates. (1) Hic loquaci cuidam etc. = M 27, 1. (2) Iniuriam irrogatam etc. = M 34, 2. P 11 Aristot. (3) Quodam illi maledicente etc. = M 35, 1 Aristippus. (4) Idem cum esset etc. = M 26, 1. P 4. (5) Hic cum vidisset latronem quendam ad patibulum duci, subrisit dicens, quod magni fures minores morti dampnabant. = M 34, 1 Democrates; cod. Hamb. supra pg. 6. 7. — Sequuntur quaedam ex Cic. Tusc. 5, 32; Val. M. IV. 3, e. 3; VI. 9, e. 1.

Demas. Huius Demadis dictum illud egregium fuit: Amico etc. = M 36. P 19.

Theophrastus. Huius Theophrasti has legimus sententias: (1) Expedit iam probatos etc. = M 15, 7. P 26. (2) Amicitias etc. = M 15, 9. (3) Quanti est etc. = M 15, 8. (4) Cum amicis etc. = M 15, 10. (5) Ita amicus etc. = M 15, 11. (6) Fortunato amico etc. = M 15, 14. (7) Amicum blandum etc. = M 15, 12. (8) Bonus amicus etc. = M 15, 15. (9) Amicum laedere etc. = M 15, 17. (10) Amico exhibere etc. = M 15, 18. (11) Amici fides etc. = M 15, 19. (12) Pro amico occidi etc. = M 15, 20 Socrates. (13) Ex inimico etc. = P 27. (14) Gravius *enim* etc. = P 28. (15) Nocere nescit etc. = P 29. (16) Amantium caeca sunt iudicia. V. B. sp. h. 5, 2. — Quae sequuntur, descripta sunt ex I. Sar. Pol. 8, 11 = Hieron. c. Iovin. 1, 47.

Haec Caecilii fragmenta eruenti mihi potius visum est nimium saepe coniecturis indulgere statimque ad Caecilium confugere, si quae expiscari contingebat aliunde non nota vel mihi certe ignota, quam timidius in tali quaestione versari eaque tantum secernere, quae in codd. nostris Caecilii legerentur, quo factum est, ut saepius fortasse pro Caecilianis acceperim, quae ex aliis fluxerunt auctoribus, rarius adnotare neglexerim, quae probabilitate quadam ad Caecilium poterant referri. Nec invitus in hanc potius quam in illam partem peccare malui, quoniam hic meus lapsus resarciri poterit Virorum Doctorum admonitionibus: addebat praeterea animos, cum perlustratis Antisthenis, Simonidis fragmentis Diogenisque apophthegmatis (cfr. Antisthenis fragm. coll. A. H. Winckelmann pag. 56 seqq. I. Conr. Orellii opusc. Graec. vet. sent. et mor. vol. II. pg. 54 seqq.) bene multa apud Walterum legi mihi persuaderem, quae a V. D. notitia essent remotiora. Usu enim edoctus sum, idemque est Io. Gottl. Schneideri iudicium (cfr. Wolfii Anal. litter. vol. II. pag. 230) Walterum, si quae latinis debet scriptoribus, plerumque citare auctores suos, Diogenis

---

Theophrastus. § 2. Liv. 40, 46, 12: Vulgatum illud, quia verum erat, in proverbium venit, amicitias immortales, inimicitias mortales debere esse. Quint. decl. 257. Cic. p. Rab. Post. 12, 33.

Laertii, quippe cui maxima libelli pars debeatur, rarius mentionem iniicere: quae mihi causa fuit, cur, ubi W. B. auctores suos nominare desineret dictaque faceta vel sententias morales proferret Caecilianis similes neque ex Diogene petitas, inquirendum putarem, unde sua hausisset. Minuebatur labor, ubi mera Caecilii fragmenta sese excipiebant, ut in Aristippo, Diogene; augebatur contra, ubi Caecilianorum series aliorum scriptorum citationibus interrumpebatur. Denique non deserenda erant Caecilii vestigia, simulac similis quidam locus alius cuiusdam scriptoris sese offerebat, — quot enim apophthegmata a Caecilio relata apud alios quoque leguntur auctores! — sed videndum erat, num Burleii verba accurate cum illo concinerent, quo loco apud W. B. utrum media inter alia Caeciliana, an inter aliorum scriptorum loca scripta essent, num alias quoque W. B. illo auctore usus esset. Haec igitur perficienda erant; in quantum vero exspectationi V. D. responderim, alii iudicent.

Restat, ut Alberti ab Eyb margaritam poeticam, illudque praesertim caput paucis tangamus, quod inscriptum est: »Incipiunt modo ex Laertio auctoritates de viciis (leg. *vitis*) et moribus philosophorum et imprimis de septem Graeciae sapientibus. Ex Laertio de vita et moribus philosophorum auctoritates incipiunt.« Et altera quidem huius operis pars nihil continet nisi »auctoritates ex Cicerone, Lactantio, Macrobio, Apuleio, Orosio, Vitruvio, Curtio Rufo, Caesare, Valerio Maximo;« sequuntur ex Diogene auctoritates, de quibus modo dixi et apophthegmata ex Plutarchi scriptis collecta. Erraret vero magnopere, qui nostrum caput, ut reliqua ex singulis auctoribus excerpta sunt, ita ex uno Laertio excerpta esse putaret, propterea quod et multa insunt Caeciliana, et multa, quae ad tertium, quartum, quintum p. Chr. saeculum pertinent. Nihilominus hoc libro facile supersedere poterimus. Qui enim W. Burleii librum de vita et moribus philosophorum, si modo est Walteri, cum Alberti capite iisdem verbis inscripto contulerit, omnia fere, paucissimis exceptis, ex Diogene et Waltero descripta esse inveniet neque Walteri Burleii nomen, utpote incerti huius libri auctoris, in inscriptione capitis desiderari mirabitur. Sexaginta duo igitur philosophi, quos Albertus triginta fere paginis recenset, non solum apud W. B. inveniuntur omnes, sed adeo Albertus sese Waltero addixit, ut ne unum quidem caput loco suo moveret, sed eundem ordinem, quem ille, sequeretur. Quare ego Albertum ipsum Caecilium inspexisse vix mihi persuaserim, etsi aliqua occurrunt, quae unde deprompserit, mihi quidem non constat. Pertinet huc Munatii Planci sententia:

Natura superbi est, minores despicere, maioribus invidere, ab aequalibus dissentire.

Verum haec longius persequi abhorret a proposito nostro: nam ad Caecilii fragmenta colligenda nullus fere est huius libri usus.

III.

Postquam eos scriptores recensuimus, quos Caecilii opere usos esse constat, duabusque prioribus libelli nostri partibus collegimus, quidquid ex Caecilii opere fluxisse videbatur, tertia dissertationis parte in eos quoque inquirere par est, quibus ipse Caecilius noster usus esse videtur: idque eo magis necessarium esse arbitror, quod ex hac quaestione in illam quoque, difficillimam sane, quae est de aetate Caecilii Balbi, aliquid lucis afferri posse spero, studiorumque philologicorum in universum ea nunc est ratio, ut de uniuscuiusque scriptoris fontibus data opera quaeratur. Itaque de fontibus Caecilii disputaturo et eos scriptores enumerare liceat, quibus Caecilius procul dubio usus est, et illos, quibus eum usum fuisse coniicias. Et cum adhuc nihil fere nisi ipsius Caecilii verba commentariis illustrata exhibuerimus, de nostro, nisi quae utique essent necessaria, addiderimus, iam quid ego de codicum auctoritate, quid de Caeciliani libri descriptione ac forma externa sentiam quidque de eius fatis compertum habeam, paucis exponere aggrediar. Denique de dictione et aetate Caecilii disputare indicesque locupletissimos adiicere in animo est, quo me lectorum desideriis si minus satisfecisse, at certe satisfacere voluisse intelligi possit.

---

10. DE FONTIBUS CAECILII BALBI. [PUBLIUS SYRUS. DIOGENES LAERTIUS.]

Multi iam ante Caecilium in eodem litterarum genere, non inhonesto quidem, sed paululum leviore, elaboraverunt scriptores, ad quod Noster sese contulit. Testis sit Cic. de offic. I. 29, 104, ubi haec disserit: »Duplex omnino est iocandi genus: unum illiberale, petulans, flagitiosum, obscoenum; alterum elegans, urbanum, ingeniosum, facetum. Quo genere non modo Plautus noster et Atticorum antiqua comoedia, sed etiam philosophorum Socraticorum libri referti sunt; multaque multorum facete dicta, ut ea, quae a sene Catone collecta sunt, quae vocant ἀποφθέγματα.« Cfr. de orat. II. 67, 271. Idem ad fam. IX.

16, 4: »Audio Caesarem, cum volumina iam confecerit *ἀποφθεγμάτων*« etc. Quintil. inst. orat. l. VI. cap. 3 (de risu) § 5 haec scribit: »Utinamque libertus eius (i. e. Ciceronis) Tiro aut alius, quisquis fuit, qui tris hac de re libros edidit, parcius dictorum numero indulsissent et plus iudicii in eligendis quam in congerendis studii adhibuissent« etc. Adde denique Suetonium de illustr. gramm. 21: »Caius Melissus, ut ipse tradit, sexagesimum aetatis annum agens, libellos *Ineptiarum*, qui nunc *Iocorum* inscribuntur, componere instituit absolvitque centum et quinquaginta, quibus et alios diversos postea addidit.«

His libris Caecilium usum esse facile crediderim vel hanc ob causam, quod, cum Graecorum plerumque dictis sententiisque referti sint nugarum libri, illorum ipsorum, quos modo commemoravimus, Catonis, Caesaris, Ciceronis nonnulla apud Caecilium leguntur apophthegmata. Nec iniucundum sane esset, illos libros inter se conferre singulorumque praestantiam virtutesque inter se comparare, dummodo aetatem tulissent; sed hoc est ipsum, cur Caecilius aliquem certe sibi vindicat locum in historia litterarum Romanarum, quasi unus de multis superstes tantae cladi.

Iam ut a Romanis scriptoribus dicendi principia capiamus, Cicerone primum teneamus Caecilium usum esse, quod supra pg. 6 et pg. 37 demonstratum est; de Valerio Maximo monui ad Mon. I, 12 et XXVI, 1; Senecae sunt, quae leguntur Lind. § 3, Par. 84 et 85, quibus addiderit forte quispiam breves illas sententias Mon. I, 29 et XLVIII, 11, quae vulgo inter Senecae proverbia edebantur. Verum ex his, licet sint paucissima, Caecilium plerumque Romanis auctoribus, rarius Graecis usum esse facile evincitur. Nam in referendis Socratis*) et Xenocratis apophthegmatis secutus est Valerium Maximum, cum prius referre posset ex Platone vel Xenophonte; quae de Duellio narrat, descripta sunt ex Seneca, cum eadem legantur quoque apud Aristotelem (Stob. flor. 5, 83) Lucianum Hermot. c. 33, Plut. de capienda ex inim. utilitate c. 7 et in apophthegm. Hier. 3 (Tzetzem Chil. lib. XIII, 485, qui Plutarchum secutus est) mutato quidem *Duellii* nomine in *Gelonis* vel *Hieronis*. I. Sar. denique verba Pol. III. 14, 17 ad Suetonium et Macrobium proxime accedunt, differunt paululum a Dione Cassio 43, 43: *Τὸ δ' οὖν χαῦνον τοῦ ζώματος αὐτοῦ ὁ μὲν Σύλλας ὑπετόπησεν, ὥστε καὶ ἀποκτεῖναι αὐτὸν ἐθελῆσαι, τοῖς δὲ ἐξαιτησαμένοις εἶπεν (εἰπεῖν?) ὅτι· Ἐγὼ μὲν χαριοῦμαι τοῦτον ὑμῖν, ὑμεῖς μέντοι καὶ πάνυ τοῦτον τὸν κακῶς ζωννύμενον φυλάττεσθε. Ὁ δὲ Κικέρων οὐ συνενόησεν, ἀλλὰ καὶ σφαλεὶς ἔφη, ὅτι· Οὐκ ἄν ποτε προσεδόκησα τὸν κακῶς οὕτω ζωννύμενον Πομπηίου κρατήσειν.*

De Suetonio et Macrobio dictum est supra pg. 46 seqq. Eutropium respexit quidem I. Sar. Pol. III. 14, 43; verum illa ipsi Eutropio debet, non Caecilio Balbo, sicut etiam, id quod sero vidi, ex Front. strat. IV. 7, 4. 5 descriptae sunt eiusdem capitis § 14 et 15. Ausonio denique tribuendi sunt, qui versus leguntur Lind. § 7, (cfr. Aus. epigr. 8)

---

*) *Socratis*] Sic recte W. Burl. ad Mon. I, 12 citatus; ipsius codicis Mon. scriptura *Demenander dixit* haud dubie corrupta est.

nisi graviora nos argumenta monebunt, ut illi testimonio fidem derogemus. Vide etiam, quae adnotavi ad W. Burl. Cleob. § 2, supra pag. 58.

Unus tantum superest inter auctores Latinos, de quo pluribus dicendum est, Publius Syrus.

Triginta septem sunt sententiae Caecilii Balbi, quas iisdem fere verbis inter Publianas quoque sententias legi in adnotationibus indicavi; nonnullae etiam, quae ipsis quidem verbis non congruant, sed tamen similes sint vel adeo simillimae Publianis. Liceat igitur collecta hic sub uno adspectu ponere, quae in adnotationibus sparsim monui et nonnulla simul addere, quae in schedula a me notata et typothetae tradita, ut commentariis meis insererentur, casu quodam adverso neglecta sunt.

Monac.	1, 2.	1, 4.	1, 8.	1, 9.	1, 13.	1, 15.	1, 16.
P. S. Or.	665.	293.	189.	478.	463.	188. (195)	15. 400.
P. S. Zell.	765.	328.	217.	543.	521.	215. (223)	19. 449.

Monac.	1, 17.	1, 20. (Par. 72)	1, 29.	1, 31.	5, 1.	7, 3.	7, 4.
P. S. Or.	161.	508.	2.	698.	204.	340.	659.
P. S. Zell.	pg. 36, 11.	585.	2.	809.	231.	380.	798.

Monac.	8, 3.	12, 3.	12, 8.	15, 5.	(15, 11)	15, 15.	15, 17.
P. S. Or.	63.	597.	184. (343)	827.	(344)	109.	33.
P. S. Zell.	61.	688.	208. (383)	976.	(384)	117.	33.

Monac.	15, 19.	17, 2.	17, 3.	18.	22, 4.	26, 1. (Par. 4)	48, 7.
P. S. Or.	28.	841.	46.	535.	775.	860.	562.
P. S. Zell.	31.	992.	47.	616.	922.	1010.	643.

Monac.	48, 8.	48, 11.
P. S. Or.	320. (375)	175.
P. S. Zell.	357. (421)	191.

Par.	3.	23.	25.	29.	44.	55.	65.
P. S. Or.	512.	820.	825.	834.	859.	769.	129.
P. S. Zell.	589.	969.	973.	pg. 37, 40.	895.	910. (955)	pg. 36, 9.

Par.	69.	72.	81.
P. S. Or.	176.	508.	251.
P. S. Zell.	192.	585.	277.

Itaque statuendum aut Caecilium Publii mimos compilasse, aut in Caecilianos codices, cum Parisinos tum Monacensem multa Publiana, fortasse etiam sententias ex aliis scriptoribus petitas migravisse. Quorum utro magis in angustias adduceremur, haud difficile est intellectu: nam altera ratione adprobata, quod pro fundamento disputationis nostrae posuimus, in Monacensi epitoma, uberrimo Caecilianorum fragmentorum fonte, nihil nisi Cae-

ciliana inesse, id vides plane infirmatum esse meque ipsum illa re haud leviter commotum fuisse libero ore profiteor; alterum id ipsum est, quod quaerimus in hac disputatiuncula de fontibus Caecilii instituta. Sed illum metum ex tot Caecilianarum sententiarum cum Publii mimis consensu conceptum inanem fuisse mox cognovi, cum, quod adhuc paululum neglectum est a philologis, in Publianarum sententiarum originem atque fidem inquirerem. Quibus studiis qui initiatus fuerit, fieri non potest, quin Publii Syri editionibus, nisi cautionis omni genere adhibito, utendum esse omnemque illam quaestionem nunc miro modo turbatam esse perspiciat. Nam cum editores plerique id tantum agerent, ut sententiarum numerum adaugerent, et unus quisque partim ex codicibus mscr. partim ex veterum scriptorum editionibus novas immisceret, nulli adhuc contigit, ut hoc Augiae stabulum purgaret: ne Zellio quidem, qui se singulorum versuum, quantum potuerit, fontes sedulo in notis monstrasse dicit, ea in editione scholarum in usum parata praestare licuit, quae expetas. Citandi erant verbi causa ad v. 57. 546 Sen. epist. 94, 43 et 13, 17; ad vv. 220. 326. 482 Sen. de provid. 4, 6. 5, 10. 4, 3; ad versus trochaicos 957. 969. 982. 990. 991. 996. 1012. 1018. Sen. de moribus, qui vulgo dicitur, § 81. 51. 76. 32. 136. 10. 74. 65; ad v. 446 Varro de re rust. 3, 2 et Gellius IV. 5, 5 etc. etc. ne de Vincentio Bellovacensi, Waltero Burleio, aliis dicam. Denique, quod restat, ut ad singulos versus codicum testimonia variaeque lectiones adscriberentur, nemo, si ab uno discesseris, hucusque aggressus est. Et codicibus quomodo editores usi sint, incredibile est dictu. Quamvis enim plerique Publii Syri nomen non praefixum haberent, — ac vereor, ut sit ne unus quidem Publii nomine inscriptus — neque sententias exhiberent iambico vel trochaico metro inclusas, editores id tamen sibi sumpserunt, ut eas iambis donarent proque Publianis venderent, itaque factum est, ut non solum alii alio modo versus efficere periclitarentur multaeque sententiae eaedem duobus locis in Syri editionibus legantur, sed etiam ut sententiae in illum auctorem inculcarentur, quae plane aliis sunt natalibus. Laudare iuvat Iani Gruteri verba forte fortuna ad vers. 240 adnotata: »Hanc gnomen reperias in solis Palatinis, ut et viginti alias, quarum nec vola, nec vestigium in vetere Frisingensi: ut facile deprehendet qui conferet. Nam mihi iam otium non est, singula adnumerare: multo minus proferre centum amplius versus, qui per me tales. Quippe antea omnia alia erant, quam Iambi. Scilicet quod sibi Erasmus in schedis Cantabrigg. idem ego et heic animo meo permisi. Quidni enim aliquando modeste utamur ingenio, velificantibus nobis praesertim librorum veterum ventis?»

Sed haec per aliam disserendi opportunitatem uberius exponere in animo est, cum Pseudosenecae libri de moribus, eiusdem proverbiorum et anecdotorum Parisinorum edendorum occasio oblata erit, quo in libello de Publii Syri quoque mimis pluribus disputare mihi proposui, nisi V. Cl. Otto Ribbeck, qui Comic. Latin. pag. 261 seqq. laudabilem in P. Syro posuit operam, in prolegomenis ad hanc editionem conscribendis omnem illum locum, qui est de P. Syro et libro de moribus, plane profligaturus est.

Nunc iam missis, quae nos longius a proposito abducunt, Caecilio nostro patrocinemur. Duo enim reprehensionum genera mihi opponi sentio. Unum hoc: »Nonne compilator is dicendus est, qui tot sententias a P. Syro mutuatus est?» Alterum: »Quidni epitomatorem Monacensem libellum suum ex Caecilio et P. Syro consarcinasse statuamus?» Quae qui mihi obiiciant, haec secum reputent rogatos velim. Triginta septem sententiarum illarum ne una quidem ab antiquis scriptoribus inter Publianas citatur; tres Ribbeckius et inter Publii mimos et inter incertas incertorum fabulas recepit; (Ribb. P. Syr. v. 1. 222. 242 = inc. inc. fab. LXIX. LXXIII. LXV = P. S. Zell 2. 357. 383 = Mon. I, 20. XLVIII, 8. XII, 8) tres tantum in editione Erasmi Roterodami, qui primus P. Syri sententias foras dedit, conspiciuntur. (Er. Rot. v. 2. 44. 96 = Zell 2. 117. 191.)

Largiamur igitur Caecilium paucas quasdam sententias ex Publio Syro vel aliis poetis comicis descripsisse, Syrumque iis addamus comitem, quibus Caecilium usum esse vidimus, Ciceroni, Valerio Maximo, Senęcae: absolvamus vero Caecilium furti crimine, si prius multas Caecilii sententias in Publii Syri editiones transiisse demonstraverimus. Nam cum in Publio Syro legantur, quae in Caec. codd. certis quibusdam philosophis tribuuntur, Socrati, Pythagorae, Theophrasto, Demostheni, Aristoteli, Cleobulo, Bianti, Xenocrati, nonne, ut vetustissimis Caec. codd. maiorem fidem habeamus quam P. Syri editionibus, res ipsa clamat? Itaque nescio, cur Amad. Roeperus Socraticas sententias, quae apud W. Burleium exstant, Socratis esse negaverit Publioque Syro vel aliis poetis tribuendas esse censuerit. Eaedem enim cum a Vinc. Bellovacensi, (sp. h. 3, 58 et sp. d. lib. 4 et 5) codd. Pariss. et Monacensi inter Socraticas referantur, vellem pluribus sententiam suam exposuisset atque firmis argumentis comprobasset. Cfr. Philol. vol. III. p. 52 f. et M. Hauptium ibid. p. 376 seqq. Accedit, quod in his philosophorum nominibus conspirant complures saepius codices, Monacensis, Parisini, W. Burleius, alii, saepius etiam, id quod est gravissimum, de iis constat ex aliorum scriptorum testimoniis, veluti de Xenocrate (M XXVI, 1. P 4. P. S. Zell 1010) ex Valerio Maximo VII. 2, ext. 6; de Biante (P 23. P. S. Zell 968) ex Diogene Laertio I, 5, 87; de Cleobulo (P 25. P. S. Zell 973) ex eodem Laertio I, 6, 91. Uter igitur dignior fide? Denique, cum multae Caecilianae sententiae sive librariorum, sive editorum culpa Publianis intermixtae iambis essent includendae vel trochaeis, saepius detortae sunt versusque evaserunt claudicantes. Nos lectori diiudicandum relinquimus, utrum Caeciliana nativum quendam colorem habeant, an Publiana, paucis tantum exemplis quasi speciminis loco propositis.

{M I, 8. Ingloria vita mortis est socia.
{P. Syr. Est mortis *homini* socia vita ingloria.

{M I, 9. 10. Nihil posse hoc est mortuum vivere. Nihil curare hoc est insanum esse.
{P. S. Nihil posse *quenquam* mortuum hoc est vivere.

Altera igitur sententia metrum respuisse videtur.

{M I, 20. Nulli imponas, quod ipse pati non possis.
{P. S. Nulli *tu* impones, ipse quod ferre haud queas.
{M V, 1. Patientia miseriarum portus est.
{P. S. *Et* miseriarum portus est patientia.
{M XXII, 4. Viri boni est nescire *vel pati vel* facere iniuriam.
{P. S. Viri boni est nescire facere iniuriam. (!)

Equidem certe multa Caeciliana in P. Syrum illata esse minime admiror, quippe qui Caeciliani operis fragmenta, ἀδέσποτα quidem, hic illic in codicibus mscr. exstare talesque codices editores P. Syri manibus versavisse facile mihi persuaserim, cum praesertim codex noster Monacensis idem esse videatur cum Frisingensi illo P. Syri codice (vid. supra pag. 17) brevesque illae sententiae morales ab eodem librario scripta sint, qui priora quoque codicis folia absolverat. Sed haec hactenus de Publio Syro.

Inter auctores Graecos Plutarchum, Stobaeum (cfr. ad M V, 2. XIV, 2. XXX, 1. XI, 1. XXVI, 4. XXVII, 3. XXXIV, 1) plus uno loco, Isocratem atque Athenaeum (cfr. ad M I, 2. XIX, 2) semel in adnotationibus nostris citavimus; sed horum nullus est, quo Caecilium usum esse pro certo affirmare audeam.

Paucis tantum monebo de Diogene Laertio. Qui quamvis multis locis (cfr. ad M XIV, 2. XVI, 1. P 23. 25) cum Caecilio concinat, totidem fere ab eo dissidet, (vid. ad M II, 3. XI, 2. XXIV, 1) ita ut Nostro hic auctor ad manus fuisse non videatur. Haec vero res secus se haberet, si extra omnem dubitationem posita et ab omni parte tuta atque munita essent, quae I. G. Schneiderus in Wolfii anal. litter. vol. II. pag. 227—255 de W. Burleio docte et ingeniose exposuit. Cuius dissertationis summa haec est, ut Walterum pleniore et meliore Diogenis Laertii codice usum esse demonstret, quam quibus editiones nostrae huius scriptoris superstructae sunt. Viderat quippe vir doctissimus, W. Burleii librum inscriptum de vita et moribus philosophorum magnam partem fluxisse ex Diogene Laertio; idem huius scriptoris codices, quibus hucusque Viri Docti usi sunt, lacunosos esse sibi persuasit, itaque factum est, ut, quae nos Caeciliana supra pag. 56 seqq. ex W. Burleio eruebamus, ea pleraque Diogeni tribuenda ratus in codicem quendam Anglicum in lucem protrahendum omnium oculos converteret bonisque profectus initiis in errorem delaberetur. Quamquam hunc errorem nescio an commisisse Schneidero potius laudi sit, — neque enim eius animus praesagiebat Caecilium e tenebris mox in lucem evocatum iri — quam levi manu correxisse iis, qui, quam primus Schneiderus ingressus erat viam, ea progredi dedignati omnem illam spem abiecisse satis haberent neque tamen Schneiderum redarguerent. Noli igitur mirari septem iam inde ab eo tempore elapsis lustris nullum ex Britannia nuntium de expletis illis votis ad nos pervenisse.

Cum vero Schneiderus non totum W. Burleii librum excuteret, sed VII Sapientum tantum vitas paucasque alias, nobis quoque paucula de Chilone, Biante, Cleobulo ad stabiliendam nostram sententiam proferre liceat. Chilonis igitur sententias tres Schneiderus

pg. 245 Diogeni vindicat, easdem, quas nos pg. 57 Caecilio et nostro quidem iure vindicavimus, cum prima exstet in M 13, 3 et paronomasia *animo* et *amico* vix ad Graecum auctorem referri possit. Biantis dicta octo ex Diogene fluxisse iudicat ibid. pg. 252, quae sunt apud nos pg. 57 et 58 Caec. § 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8: (= M 15, 1. 2. 3. 28, 5. P 5. M 14, 4. 5.) octavum vero dictum »Interrogatus, quis sit inter homines infortunatus, ait: Qui non potest infortunia pati» idem esse arbitror cum Diogenis L. Ἔλεγε δὲ ἀτυχῆ εἶναι τὸν ἀτυχίαν μὴ φέροντα. In Cleobulianis denique (vid. Schneid. p. 241 et nos supra p. 58) iterum lusus verborum conspiciuntur, *invidiam* et *insidias*, *libet* et *licet*, idque recte monuerat Roeperus Philol. III. pg. 44: »Burley fährt fort: Illud enim apertum est, hoc autem celatum malum, nocendique fraus quae non speratur potentior est. Quanto plus licet, tanto libeat minus. Von dem Allem steht bei Diog. Laert. nichts, und ich weiss nicht, ob sonst wo etwas. [Cfr. adnot. ad W. B. Cleob. § 2 supra pg. 58] Sollte dies die Ansicht Schneiders in Wolfs Analecten II. S. 229 bestätigen? Der letzte Satz wenigstens scheint aus keiner griechischen Quelle entsprungen.»

Defensio quidem peti possit ex Ambrosiana versione Diogenis Laertii, quae verbi causa in fine Biantis haec addit in editionibus codicibusque mscr. Diogenis L. desiderata:

> Huius etiam feruntur esse sententiae: Quicquid proposueris, firmiter servans persevera. [= Diog. L. I. 5, 87: ὃ δ᾽ἂν ἕλῃ, βεβαίως τηρῶν διάμενε.] Duo maxime contraria sunt consilio, scilicet ira et festinatio. [= W. B. Bias 5 supra pg. 58] Diu deliberatos amicos elige eosque uno affectu, non uno habeas merito. [= W. B. ibid. 2] Amicos sequere, quos non pudeat elegisse. [= W. B. ibid. 3] Amici vitam tuam puta gloriam. [= W. B. ibid. 4] Cfr. Diog. L. ed. H. G. Huebner vol. II. append. crit. pg. 642.

Sed videntur haec ex ipso W. B. huc translata esse et sunt certe ipsius Caecilii teste Monacensi: pariter etiam ex W. Burleio fluxerunt, quae in vita Solonis apud solum Ambrosium habes: ‚Inter alias hae clariores sunt eius sententiae: Quae non posuisti etc..... optime regi poterit.' Cfr. Huebn. l. c. pg. 630.

Quibus expositis pluribus hac de re disputare supersedemus, nostram sententiam per se ipsam comprobari et argumentis satis idoneis iam comprobatam esse rati; si vero sunt, quibus non persuaserimus, re iterum in disceptationem vocata plura documenta proferre haud gravabimur.

II. DE FATIS ET DESCRIPTIONE OPERIS CAECILIANI.

Pervenimus iam ad eum disputationis locum, quo de Caeciliano opere universo dicendum est. Nam iis, quae adhuc disputata sunt, nihil fere effectum esse video, quam ut Caeciliani operis dudum oblivione obruti rara passim fragmenta, alia auctoris nomine conspicua, alia recondita, ἀδέσποτα et divinatione tantum eruenda aetatem tulisse demon-

stratum sit. Cfr. supra pag. 2. Primum igitur erit, ut, postquam ipsi pro virili parte fragmenta illa collegimus, quae relicta sit spes eorum emendandorum et augendorum inquiramus. Sed si umquam confugiendum est ad vocem illam a criticis quibusdam saepius usurpatam, ‚Exspectandi sunt meliores libri', tum nobis omnis spes in Britanniae bibliothecis ponenda est, quoniam et I. Saresberiensis antiquissimus est, qui Caecilii nomen prodat, et W. Burleius, item natione Anglus, († anno 1337) integro Caecilii codice usus esse videtur: quamquam eos inutilem operam suscepturos esse non dixerim, qui ad bibliothecarum Gallicarum et Germanicarum angulos perscrutandos et perreptandos sese accingant.

Alterum est, ut, cum multa Caecilii fragmenta non in uno tantum codice, sed in pluribus simul servata sint, de auctoritate codicum disseramus et, cuinam maxima fides habenda sit, inquiramus. Et erunt fortasse, qui W. Burleium prae ceteris sequendum esse existiment, quippe cui pleraque Caecilii fragmenta debeamus; alii, qui Monacensem codicem primum sibi locum vindicare arbitrentur; alii, qui aliter iudicent. Sed W. B. mirum est, quam parum curae impenderit opusculo suo et quam properante oculo eos perlegerit auctores, ex quibus librum illum de vita et moribus philosophorum consarcinavit. Meminerimus modo Gellii illius sive potius Pseudogellii, de quo paucis monui supra pag. 53 ad V. B. sp. h. 3, 67 et pag. 60 med. Eodem pertinent, quae scripsit in Diogene: ‚Alia vice, ut scribit Seneca ibidem, dum ageret causam, Lentulus quidam attracta pingui saliva eius faciem aspersit. Cui Diogenes quieta mente dixit: Affirmabo, inquit, omnibus, o Lentule, falli omnes, qui negant te os habere.' Reponendus enim erit *Cato* pro *Diogene* coll. Sen. de ira 3, 38; Diogenis vero nomen huc irrepsit, quod Seneca in praecedentibus Diogenis fecerat mentionem*). Haec nescio an ad illas Caecilii sententias illustrandas faciant, quae alii codices aliis philosophis tribuunt, potiusque a Mon. et Pariss. quam a W. Burleio standum esse comprobent. Relinquamus igitur Ciceroni, quae et in Ciceronis orationibus leguntur et codices Parisini § 1. 2 Ciceronis esse affirmant; mittamus Diogenem a W. Burleio invectum. Nam quod iam ipsis antiquitatis scriptoribus saepius accidisse scimus, ut ex. gr. illud γνῶθι σεαυτόν Biantis, Chilonis, Solonis, Libyos, Pythiae, Homeri, Thaletis esse scriberent ipsi inter se dissentientes, (cfr. Paroemiogr. graec. ed. Gotting. mant. prov.) id ad excusandum Burleium nullum habet locum, cum Caecilium sibi ipsi non constitisse secumque ipsum pugnasse a veritate alienum esse videatur. Nec Waltero hac in re fidem denegarem, nisi permultis locis eum eidem vitii generi obnoxium viderem. Quas enim Mon. III. § 2. 3. 4 habet Biantis, Platonis, Solonis sententias, W. Burleius ei, qui est in Mon. medius, Platoni tribuit; qua in discrepantia cum res ipsa monet, ut Monacensi

*) Retractare hic liceat, quae in Schneidewini philol. vol. VIII pag. 384 de loco quodam W. Burl. disputavi, eam quidem in partem, ut nostros Val. Maximi codices IX. 12, e. 4 decurtatos esse statuerem. Postea tamen intellexi, W. B. sua ex Vinc. Bell. sp. h. 3, 40 hausisse, eoque loco leviter tantum inspecto Valerio vindicasse, quae partim ex Val. IX. 12, e. 4 partim ex Solino 9, 17 fluxerunt.

potiorem fidem habeamus, tum Cicero, Valerius Maximus, Plutarchus in adnotationibus citati Solonis nomen confirmant. Idem accidit in Epaminondae, Socratis, Biantis, Xysti dictis Mon. XIV, 4. 5. XV, 1. 2. 3, quae apud W. Burleium omnia in eo capite, quod est de Biante, leguntur; inter Theophrasti etiam sententias reperiuntur apud W. Burl. Mon. XV, 7. 8. 9. 10. 11, ubi vid. adnot. Cfr. quoque ad Mon. XXV, 2. 3. 4. 5. Cum vero supra pag. 35 in codice Mon. saepius excidisse philosophorum nomina viderimus, iusta Burleio excusatio esse videtur, si eum codice corrupto et lacunis foedato usum esse statuerimus, neque praefracte negaverim, codicem, quo usus est, multis fortasse locis mendosum, aliquid ei dare excusationis; sed plerumque hanc excusationem non accipiendam esse nec temere nos eius incusare socordiam ex ipsius W. Burleii verbis demonstrari potest. Monui hac de re ad Mon. XXIII, 3, quocum conf. XXIV, 1 et ad Mon. XV, 10, ubi eum secum ipsum pugnare eandemque sententiam modo huic, modo illi philosopho tribuere vidimus. Nec alia ratio est trium illarum paragraph. Mon. XXXIV, 1. 2 et XXXV, 1. Et in priore quidem sententia W. Burleius *Xenocrates* scriptum invenit in codice suo pro *Democrates* (vid. pag. 65 Xenocr. § 5 et pag. 7 princ.): alteram, quae testibus Parisinis et V. Bellov. Aristotelis est, recte inter Aristotelis elegantia dicta retulit; (vid. Arist. § 4 pag. 64) idem vero, cum iterum codicem suum evolveret, vicinum Xenocratis nomen arripiens eandem illam sententiam et subsequens quoque Aristippi apophthegma (Mon. XXXV, 1 = I. Sar. Pol. III. 14, 5 supra pag. 7) alio loco ut Xenocratis dicta proferre haud dubitavit. Vid. pag. 65.

Iam si quis quaerat, quomodo factum sit, ut W. Burleius tot erroribus implicaretur, vix aliter eum in idem semper fraudis genus incidisse sibi informare poterit, nisi eum codice usum esse statuerit, in quo non singulae singulorum philosophorum sententiae sese exciperent, et Socratica, Platonis, Aristotelis dicta uno capite essent comprehensa, sed qui, Monacensi similis ac fere geminus, apophthegmata per locos communes digesta exhiberet, et in quo philosophorum nomina passim omissa, passim sic posita essent, ut utrum ad praecedens an ad subsequens dictum pertinerent, haud facile discerni posset. Rarissime tantum accidit, ut Burleio potiorem fidem habuerimus, quam Monacensi. Vid. ad Mon. I, 12 coll. pag. 68 extr. nisi haec, quod mihi quidem videtur, ex ipso Valerio fluxerunt (cfr. W. B. Socr. pag. 59 fin.) et ad Mon. III, 1.

Denique hoc Burleio crimini dandum est, quod saepius complures Caecilii sententias morales, brevioresque praesertim insertis particulis *autem*, *enim*, *igitur* etc. in unam consuere sibi sumserit, quae licentia ipsa quoque in Burleii codice sententias eiusdem argumenti coniunctas fuisse comprobare videtur. Cfr. ad Mon. III, 4. X, 2. 3. XII, 6. 7. 8. Par. 17. 27. 28. 35. 55^{b}. W. Burl. Sol. § 1 pag. 56 fin. et Socr. § 11 pag. 59.

Quanto Vinc. Bellovacensis aetate Walterum Burleium superat, tanto puriore, ad eius spec. hist. doctr. mor. accedentes, utimur fonte, e quo Caeciliana fragmenta haurire liceat: nam cum multa quidem soli debeamus Burleio, nonnulla certe loca Caecilii W.

Burleius ex ipso Vincentio descripsit. Cfr. ad sp. h. 3, 67 supra pag. 53. Verum utrique hoc est commune incommodum, quod neque hic, nec ille Caecilii usquam mentionem faciat, (cfr. pag. 2) et Vincentius sese vere torquere videtur, quomodo opus illud incerto auctore vulgatum commode designare possit. Hinc igitur illud *dicitur* sp. h. 3, 67. 68. 5, 2, *legitur* sp. h. 3, 70. 82. 91, *inveniuntur* sp. h. 3, 58, *ex diversis locis collegimus* sp. h. 3, 58, *ex diversis locis excerpta collegi* (sp. h. 3, 79 citato ad W. B. Plat. § 19. 20 supra pag. 64); hinc illud *ex proverbiis Sapientum**) sp. d. 4, 67. 132. 133. 5, 126; illud *legitur in proverbiis philosophorum* sp. m. 3, 8, 1. 3, 9, 3; hinc illa *parabola philosophorum* sp. m. 3, 3, 23.

Sane verum est illud: *Habent sua fata libelli.* Ioannes Saresberiensis enim Policr. III. 14, ubi de maledictis disserit, tot apophthegmata ex Caecilio Balbo retulit, ut ei integrum Caecilii opus ad manus fuisse videatur; (vid. pag. 48 fin. et 49 princ.) immo quarto decimo adhuc saeculo Walterus Burleius integrum Caecilii codicem manibus versavit; nos vero saeculo undevicesimo eius nominis et operis paene obliti exiguas tantum reliquias in lucem revocavimus. Quamquam non omnia apophthegmata Ioannes in usum suum convertit, quotquot essent apud Caecilium de maledicentibus, ut facile deprehendet, qui W. Burl. Diog. § 1. 2. 3 (supra pag. 60 et 61) et Mon. XXIV conferet; sed additis multis aliis exemplis ex Frontino, Suetonio, Macrobio illud caput in tantam molem adauxit, ut vix quemquam exstiturum esse putem, qui eum ad comprobandam sententiam illam § 4 propositam nimium verbis pepercisse arguat.

De codicibus Parisinis et de Monacensi, locupletissimo dissertationis nostrae fonte, iam satis dictum est pag. 16—17, 35—37, 43 seqq. locupletissimum enim hunc dicere liceat pro paucitate fragmentorum Caecilianorum, quae adhuc in lucem protrahere mihi contigit, non pro integro Caecilii opere. Nam quae in Monacensi et Parisinis servata sunt fragmenta Caecilii, si omnia in unum conferas, vix quartam habebis integri operis partem. Eius calculi ratio haec est. Cum plurimum firmamenti haud dubie in iis W. Burleii capitibus ponendum sit, quibus continuata sunt Caecilii fragmenta nullis aliorum scriptorum locis insertis, ut in Diogene, eum omnes fere Diogenis sententias, quotquot apud Caecilium Balbum reperiret, in unum collegisse coniectura suspicari licet. Diogenis igitur, deductis duabus illis Ciceronianis falso Diogeni vindicatis § 36 et 37, apud W. Burleium pag. 60 seqq. undequadraginta leguntur sententiae, quarum undecim, scilicet §§ 4. 5. 6. 8. 11. 18. 21. 32. 33. 34. 35 in Mon. et Pariss. exstant; inter viginti septem Platonis (vid. pag. 63 seq.) septem, ex undecim Solonis (vid. pag. 56 seq.) tres in Mon. et Pariss. habentur. Ratione igitur habita illorum dictorum, quae W. Burleius, cum ἀδέσποτα essent

*) Sic etiam W. Burleius pag. 59 media: ‚De dictis Socratis notabilibus *sive proverbiis* habentur haec.' Ceterum pleraeque sententiae, quas V. Bellovacensis *ex proverbiis Sapientum* citat, nunc inter Publianas leguntur vel in libro Pseudosenecae de moribus inscripto, quare hac de re alio loco, scilicet in libro pag. 70 fin. indicato disserendum mihi reservavi.

in codice suo, certo cuidam philosopho tribuere nec potuit nec voluit, Monacensem epitomen et Parisinam vix quartam integri operis partem explere statuendum est.

Quaerenti de descriptione operis Caeciliani duae quasi ultro sese offerunt sententiae; altera, ut nugarum libros ad similitudinem codicis Monacensis vel Valerii Maximi, altera, ut eos ad similitudinem codicum Parisinorum vel Diogenis Laertii descriptos fuisse statuamus: illinc stant Monacensis, W. Burleii codex, (vid. supra pag. 75) codicis Hamburgensis fragmenta duo de latrocinio, I. Saresberiensis Policr. III. 14, ubi apophthegmata de maledictis aequo animo ferendis continua leguntur; hinc soli Parisini. Codicis enim Lindenbrogiani nulla fere est auctoritas in hac re diiudicanda, propterea quod, qui primus illa fragmenta ex codice quodam Caecilii sibi excerpsit, § 7 locum ex Caecilii libro quarto, nisi codicis scriptura corrupta est, § 8 alium ex libro tertio, § 13 iterum plura ex eodem libro sibi enotaret, unde eum omnia suo arbitrio disposuisse apparet.

Iam finge Caecilii opus ad modum codicum Parisinorum descriptum fuisse. At occurritur nobis, neque id ab indoctis quaerentibus, quomodo factum sit, ut sententia illa de festinatione et ira duobus locis in codd. BC legatur, § 5 et § 55ᵇ, prior quidem Phocionis, altera Socratis: opponunt illi, epitomatorem in eandem fraudem delapsum videri, qua sese W. Burleius saepius decipi passus sit ideoque huius erroris originem indidem repetendam esse, unde illius quoque errores repetivimus, nimirum ex eius codicis, quo utebatur quique Monacensi similis fuerit necesse est, condicione atque indole. Vid. pg. 75. Ab aliis haec contra dicentur: temere conscribillatas esse sententias Parisinas, in quibus Ciceronem Xenocrates et Phocion, Theophrastum Demetrius, Caesar, Simonides excipiant, in quibus Graeca cum Romanis, philosophi cum poetis, oratores cum imperatoribus sic mixti singulaque adeo perturbata sint, ut haud facile vestigia libri bene descripti agnoscas; a librario igitur male sedulo haec corrasa esse et inter philosophos distributa. Consentit denique cum his tertium adversariorum genus, quos omnium maxime timendos esse existimo: dum enim testimoniis nixi certissimis atque gravissimis, Lindenbrogiano cod. § 7. 8. 13 et Hamburgensi libro tertio Caecilium de Socrate, Caesare, Alexandro, libro quarto de Agathocle dixisse monent, vix tres illos, natione, moribus, aetate dispares uno eodemque libro comprehendi potuisse obiiciunt.

Unum igitur restat, ut refutata illa opinione, quam modo ipse protuli, ad Monacensem nostrum redeamus. Etsi enim nonnulla pag. 36 notavimus, quae nobis suspicionem movere videantur, reliqua tamen haud prave descripta esse vidimus, et optime sane sese applicat capiti II (de sapientia) tertium, quod inscribitur de doctrina; optime etiam coniunguntur capita XI et XII, de avaritia et de parcitate; capp. XXVI et XXVII, de taciturnitate et de loquacitate; capp. XXXII et XXXIII, de contumeliis et de petulantia, etc. etc. Huc accedit, quod Mon. capitibus XXXIV et XXXV (*de latrocinio* et *de maledicentibus*) ad tertium, capite XLIII inscripto *de temperantia* (XLVI *de contemptu pecuniae?*) ad quartum Caecilii

librum relatis Lindenbrogiani et Hamburgensis codicis testimonia modo prolata optime cum descriptione epitomae Monacensis conveniant: nec a Caecilio nunc profecta esse negaverim verba illa, quae exstant Mon. XXXI, 2: »cum alius Demostheuen **talibus** obiurgaret.»

Dolendum quidem est, W. Burleium nos in hac gravissima quaestione derelinquere eiusque libellum festinantius conscriptum omnino non pro fundamento disputationis poni posse. Nam cum iam supra eum non s e m e l — neque enim fieri potuit, ut eandem sententiam bis excerperet — codicem suum Caecilii perlustrasse statimque sibi descripsisse, quae commode libello suo insereret, sed iterum atque iterum evolvisse et revolvisse docuerimus, nihil amplius admirationis habet, quod Caecilii fragmenta et aliis historicorum locis intermixta sint, et, ubi continuantur, mirum in modum perturbata non pristino sese ordine excipiant. Cfr. tamen Platonis apophthegmata pag. 63 § 1. 4. 11. 12. 13. (= Mon. II de sapientia, XI de parcitate, XXXVIII de religione, XXXIX de imperio?) Haec hactenus de descriptione operis Caeciliani.

12. DE DICTIONE ET AETATE CAECILII BALBI.

Si Caecilii fragmenta omnia ex uno Waltero Burleio petenda essent, is malus haud dubie existimaretur esse latinitatis auctor; perhorrescimus enim vocabula, qualia sunt *rectificare, intimare, dehonestas, dehonestare, confortare, comestio, accersire, ineptitudo,* (W. Burl. Sol. 7, Socr. 7, Diog. 2. 3. 17. 24. 38. Plat. 10): nec aliter iudicandum esset de compositione verborum coll. Diog. § 2 et 3, sed concederemus quidem, eum longam verborum continuationem fugisse, desideraremus vero aptas illas et quasi rotundas comprehensiones et ambitus verborum. Mittamus igitur Burleium iam saepius a nobis socordiae et negligentiae accusatum et transeamus ad Vincentium Bellovacensem.

Sed ut est in proverbio illo, Incidit in Scyllam, qui vult vitare Charybdim, ita nos Vincentium eumque praesertim, qui speculum morale conscripsit, non modo cum Burleio magnopere dissentire, sed ne sibi quidem constare videmus. Iuvat hic pauca exempla adscribere.

Vinc. Bell. sp. m. III. 9, 3: Legitur in proverbiis philosophorum, quod cum quidam diceret audiente Pythagora, quod libentius moraretur in mulierum consortio, quam in philosophorum contubernio, respondit Pythagoras: Et sus libentius in luto quam in aqua pura.	W. Burl. Pythag. 10: Cum quidam stolidus audiente Pythagora dixit, malle se cum mulieribus esse quam cum philosophis conversari: Et sues, inquit, libentius in coeno quam in aqua conversantur.
Vinc. Bell. sp. m. III. 3, 23: Item de parabolis philosophorum. Cum quidam Socratis discipuli recederent ab eo, rogaverunt eum,	W. Burl. Socr. 8: Cum quidam ex eius doctrina bene meriti discipuli discederent rogantes eum, ut aliquod praeceptum ordi-

ut aliquod praeceptum ab eo reciperent bene ordinandi vitam suam. Qui ducens eos secum in deversorium suum et ascendens superiora domus, iussit uxori suae, ut vasa melle et oleo plena eiiceret desuper. Quae statim parens hoc fecit. Admirantibus autem discipulis ait: Si talem in rebus et domibus vestris potestatem habueritis, beatam vitam ducetis, quia, si voluntatem superiorum fecerint inferiores, non suam, tunc pacifica vita est et beata in domo.

nandae vitae ab eo perciperent, iussit eos in deversorium secum venire uxoremque in superioribus constitutam vocavit iussitque vasa melle et oleo plena ut everteret, admirantibusque discipulis ait: Si hanc in domibus vestris rerum potestatem habueritis, beatam vitam disponetis.

Vinc. Bell. sp. m. III. 8, 1: Item cum Socrates, ut legitur in proverbiis philosophorum, hospitibus satis tenuem parasset cenam, et quidam amicus suus eum super hoc redargueret, ait: Si sapientes sunt, talis cena docet sapientiam; si insipientes, hoc fit eis documentum. Si res tua tibi non sufficit, tu parcendo rei fac ut sufficias ei.

W. Burl. Socr. 7: Cum Socrates quosdam hospites suos satis tenui cena suscipere pararet, et amicus eius hoc illi intimaret, ait: Si boni sunt, aequanimiter ferent; si mali, non est curandum.

Mon. XI, 3: Si res tua tibi non sufficit etc.

V. Bell. sp. m. I. 3, 104: Sicut legitur fecisse Diogenes philosophus. Qui cum haberet pecuniam, quam ad caput suum posuerat, ut dormiret, et quidam latro hoc perciperet, insidiabatur ei de nocte consurgens, quomodo dormienti eam surriperet. Et ille e contra haec advertens, prae sollicitudine custodiendi eam cum affligeretur et dormire nequiret, vocato latrone et accepta pecunia illam proiecit ei dicens: Tolle, miser, et utcunque me sine dormire.

V. Bell. sp. m. III. 7, 2: Ad hoc facit exemplum Diogenis philosophi. Qui cum in via portaret pecuniam et eam supposuisset capiti suo, ut dormiret, advertit furem sollicitum, quod eam furaretur dormienti. Cum autem ipse prae sollicitudine somnum amisisset, sciens appropinquantem furem, proiecit ei pecuniam dicens: Tolle, miser, pecuniam et permitte me dormire.

Mon. XLVI De contemptu pecuniae. Diogenes cum illi a capite nocte fur sacculum cum nummis subtrahere conaretur, et ille sentiret: Tolle, inquit, infelix, ut facias utrosque dormire.

Lind. 1. Cum quidam fur nocte Diogeni de capite pecuniam auferre conaretur, ille sentiens ait: Tolle, infelix, et permitte utrumque dormire.

W. Burl. Diog. Cum illi de suo capite nocte fur sacculum cum nummis subtrahere conaretur, et ille sentiret, contempta pecunia ait: Tolle, infelix, tolle, ut uterque dormiat.

En, quantum haec inter se differunt! Videlicet in talibus narratiunculis fabellisque lepidis vastus librario — si modo librarii dicendi sunt, qui orationem ad libidinem suam

modo in angustum deducerent, modo quasi altius exaggerarent — campus relictus erat, in quo excurreret; in moralibus vero sententiis, brevibus illis et succinctis, vix fieri potuit, ut aut plura adderentur, aut Caecilii verba circumciderentur, sed plerumque eo tantum morbo inficiebantur, ut structa verborum collocatio in peius detorqueretur. Haec est causa, cur Caecilii fragmenta in speculo doctrinali et historiali servata minus corrupta sint, quam iure tuo coniicere possis, eademque est causa, cur Pythagorae, Socratis, Platonis, Aristotelis elegantia sive notabilia dicta, quae ex W. Burleio repetivimus pag. 58. 59. 63. 64 itemque Diogenis celebres sententiae pag. 62 enotatae dictione praeter omnium exspectationem pura atque sincera conspicua sint.

Sed dubium non est, quin codex Monacensis et Parisini, ut vetustate reliquos superant, ita ad pristinum quoque sermonis Caeciliani nitorem omnium proxime accedant eique, qui de dictione Caecilii recte iudicare velit, in iis solis disquisitionis fundamentum ponendum sit. Quamquam nescio an e limo quasi eductus politior etiam et elegantior evasurus esset Caecilius, si vetustiores illis codices nobis praesto essent: licet enim multa Monacensis loca egregie et ad verbum fere cum Parisinis conspirent, (vid. supra pag. 44) animadvertendum tamen est, in iis nihil fere legi nisi sententias (et recte inscripti sunt *Incipiunt sententiae vel definitiones philosophorum*) uno plerumque enuntiato comprehensas ideoque corruptelae minus obnoxias. Critici igitur erit, ut non eas tantum codicis Monacensis Parisinorumque lectiones Burleianis praeferat, quae sese ipsae commendent, sed ut illas quoque, quae per se ipsae quidem spectatae Burleii ceterorumque discrepantiis minime praestare videantur, propter codicum vetustissimorum auctoritatem in ordinem verborum recipiat. Quod ut uno exemplo eoque luculento doceam, eas sententias proferre liceat, quae in Monacensi oratione indirecta, ut grammatici dicunt, apud Walterum Burleium oratione directa expressae sunt.

Mon. 1, 31. Oculos . . . . malos testes esse. W. B. Oculos . . . . puta malos testes esse.

Mon. 3, 1. Debere homines viaticum senectuti litterarum eruditionem parare. W. B. Debent . . . . parare.

Mon. 3, 3. Plato dixit: Litteras . . . . repertas esse. W. B. Litterae . . . . repertae sunt.

Mon. 3, 4. Salon dixit: Eundem debere finem . . . . esse. W. B. Eundem fac finem etc.

Mon. 5, 2. Diogenes dixit: Unumquemque . . . . habere debere. W. B. Unusquisque habere debet.

Mon. 6 et Par. 16. Plato dixit: Triumphum innocentiae esse etc. W. B. et V. Bell. sp. h. Triumphus est innocentiae etc.

Mon. 7, 1. Pythagoras dixit: Finem irae initium esse poenitentiae. W. B. Finis . . . . est.

Mon. 10, 2. Socrates dixit: Dignos esse invidos etc. W. B. Digni . . . . sunt etc.

Mon. 12, 3. Pythagoras dixit: Avaros homines pupillos . . . . esse etc. W. B. Avari homines pusillis (pupillis) similes sunt etc.

Mon. 15, 6. Aristoteles dixit: Difficile esse etc. W. B. Difficile est etc.

etc. etc.

Nec quidquam est causae, cur in sententiis intermediis indicativum saepius positum esse miremur, veluti

Mon. 10, 3. Quanta felicium gaudia *sunt*, tantos invidorum gemitus *esse*. (W. B. Quanta.... sunt gaudia, tanti invidorum gemitus.)

Mon. 34, 2. Par. 11. Iniuriam inrogatam eius infamiam *esse*, qui *facit*. (V. Bell. et W. Burl. Infamia est etc.)

Mon. 38, 2. Eum, qui deos imprecatur . . . . oblivisci. Cfr. quoque ad Lind. 4.

Clarius etiam, quanta sit fides Monacensis Parisinorumque, perspiciemus, cum in usum vocabuli *quam* inquisiverimus. Hoc enim cum saepe idem valere quod *potius quam* multa loca Nepotis, (ex. gr. Dat. 8. Tamen statuit congredi, quam cum tantis copiis refugere) Sallustii, (Cat. 9. Beneficiis quam metu imperium agitabat) Taciti, (cfr. Orelli ad Tac. Annal. 1, 58) aliorum testentur, idem interdum apud Caecilium valere apparet ex Mon. 48, 6: ‚Cave, ne armarium *quam* pectus habeas doctum' et ex Par. 51: ‚In tuo *quam* in alieno labore sarcinam suscipe,' qua in scriptura codices Parisini ABC, Vinc. Bell. sp. h. 3, 58 et sp. d. 5, 40 conspirant: Burleius vero, cum in eo haereret, suo arbitratu edidit: In tuo *potius quam* etc. et idem plane sibi sumpsit Democr. § 3, ubi pro ‚Convenit parcitatem sequi in tuo, quam luxum in alieno suscipias damno' pro lubidine scripsit ‚*Convenientius est'* etc. Sed luculentissimus omnium locus exstat Par. § 65, isque in codice A sic se habet:

‚Conscientiam *quam* famam intende.' apud
W. Burl. vero sic: Conscientiam *m a g i s quam* f. etc. apud
Vinc. Bell. sp. h. 3, 58 sic: Conscientiam *p l u s quam* etc. in
Pariss. BC denique scriptum est: Conscientiam *p o t i u s quam* etc.

Pauca addiderim de illo dicendi genere, quod a grammaticis veteribus *ἀσύνδετον* dicitur, non eum quidem in finem, ut talibus minutiis proprietatem sermonis Caeciliani adumbrare sperem, quod vereor an in paucitate fragmentorum Monacensium atque Parisinorum a quoquam praestari possit, sed hac potius ratione ductus, ut, quotquot collegimus Caecilii fragmenta ex diversis codicibus auctoribusque, in omnibus, nisi ubi lubidine et socordia epitomatorum librariorumque Caecilii vestigia prorsus exstincta sunt, idem regnare dicendi genus omniaque inter se hoc vinculo copulata et connexa esse comprobem. Et ne iusto longior fiam, statim, quae mihi enotavi loca, lectorum oculis subiiciam. Sunt igitur haec:

Diligentiam (?) auribus, linguae taciturnitatem indixi, quietem manibus. I. Sar. Pol. III. 14, 23.

Pecunia avaro supplicium est, profuso decus, parricidium proditori. Mon. 12, 1.

Cum in his esuris, sitis, alges. Mon. 12, 4. Pythag. apud. Orellium opp. gr. sent. et mor. I. 46: *Σαρκὸς φωνὴ μὴ πεινῆν, μὴ διψῆν, μὴ ῥιγοῦν.*

Amico fides coagulum est amicitiae, sapientia firmamentum, contentio discidium. Mon. 15, 19. [Eius sententiae prior pars, neque enim tota versu iambico includi

poterat, nunc inter Publii Syri sententias legitur v. 28 Or. ‚Amicitiae coagulum unicum est fides.']

Natura superbi est minores despicere, maioribus invidere, ab aequalibus dissentire. Munatii Planci est sententia (vid. supra pag. 66 extr.) et ex Caecilio fortasse ducta.

Quae vero in Caecilii fragmentis deprehendi singularia vel aliquo nomine notanda, ea secundum litterarum ordinem digesta hic inserere placuit.

Amodo i. e. *abhinc*. Hamb. pag. 6 princ. Cfr. Hieronymi et Cypriani loca a Th. Munckero citata in dissertatione de C. Julii Hygini stilo sub fin.

Coagulum τροπικῶς Mon. 15, 19: Amico fides coagulum est amicitiae etc. Par. 24: Convivium coagulum amicitiae esse cum bonis. Cfr. Varro apud Nonium pag. 28 Merc. Hoc hilaritatis dulce seminarium; Hoc continet coagulum convivia. Gell. n. a. 12, 1. Ammianus 29, 2.

Dum pro *cum* saepius invenitur apud posterioris aetatis scriptores, ita ut apud W. Burleium Diog. § 19 et 27 (pag. 62) emendatione iam non opus sit. Cfr. ibid. § 9 pag. 61.

Egere cum accusativo coniunctum Mon. 12, 8: Minimum eget mortalis, qui minimum cupit. P 47: Quod habes, ita utere, ut alienum non egeas. Plautus Men. 1, 2, 12: Nec quicquam eges. Cato ap. Gellium 12, 23, 1: Multa eges. Sall. Iug. 98: Locus praeceps pauca munimenta egebat, si sana est codicum scriptura.

De *eo quod* nescio an iam quaesitum sit a viris doctis et exploratum, quonam tempore novatum sit; Ciceronem certe *propterea quod* adamare constat. Praef. § 3 pag. 3. Legitur sexcentis locis apud I. Saresb. ex. gr. Policr. III. 14, 19. 37 supra pag. 9 et 10. Add. Liv. per. 69. Ampel. 2, 9. Aur. Victor de Caes. 22. De orig. gentis Rom. cap. 3 f. 5 princ. 6 med. 8 princ. 9 princ. 10 princ.

Expedit = *praestat, satius est*, quod verbum Caecilio in deliciis fuisse videtur. Cfr. Mon. 15, 7. 16. 26, 3. Par. 26. 75. W. B. Plat. § 4. 17 pag. 63 et 64.

Facere pro *iubere*. Praef. 2: Si omnes rapi feceris ad tormenta. Hamb. pag. 6: Eumque fecit ascribi militiae. (I. Sar. correxit *iussit*.) Mon. 17, 6: In suum eos deversorium secum venire fecit. (W. B. corr. *iussit*.) Cfr. Liv. 22, 13: Casilinum pro Casino ducem accipere fecit. Auct. de vir. illustr. 78: sepeliri fecit. De orig. gentis Rom. 6: boves restitui fecit. Macr. Sat. 7, 3, 21: pro ampla domo in dolio me fecit habitare. Inscr. ap. Rader. ad Mart. 1, 93: fieri fecit. Varro de re r. 3, 5, 3. Virg. Aen. 2, 538. Ovid. Met. 7, 690. 10, 357. Heroid. epist. 17, 174. Sen. epist. 114. Colum. 12, 38, 5. Pallad. 5, 8. 6, 12. 10, 16. Hyg. fab. 145. Ex scriptoribus medii aevi conf. ex. gr. W. B. Anach.: Nuntiari Soloni fecit. Idem Secundo: Eumque ad se venire faciens. Alb. ab Eyb marg. poet. auctor. ex Diog. Laert. s. v. Virg. Et ibi fecit eum stare.

Improperium i. e. *opprobrium* I. Sar. Pol. III. 14, 38 supra pag. 11. Lind. 13. auctore Stephano vox mediae latinitatis est, sed occurrit tamen apud Lactantium et videtur potius

esse plebeia et rustica, si quidem Plautus improperandi vocabulo usus est. Cum igitur elegantes scriptores hac voce abstinuissent, iterum evaluit apud medii aevi scriptores. Cfr. ex. gr. W. Burl. Aristippo: Quandoque improperia passus discedebat. Idem Democrito: Verborum improperia constantissime toleravit. Idem Socrate: Xanthippae clamores et improperia.

Imputare pro *putare* Mon. 2, 2. 15, 3. 31, 2. Par. 24, quibus ego locis codicum scripturam emendare ausus non sum.

Iubere cum dativo Mon. 40, 3. V. B. sp. m. III. 3, 23 pag. 79 princ.

Non vivas, *non* permittas, non inhabites, non omittas, (ad Mon. 1, 11. ad Par. 71. Plato 11. 12 pag. 63) aliaque huius generis (Diog. 2. 7. Plat. 2 pag. 60. 61. 63) quod W. Burleius sibi indulsit, eam culpam ipse sustineat; in melioribus certe codicibus hic soloecismus nusquam admissus est. Cfr. ex. gr. Mon. 1, 26: celare noli. Par. 41. 60: ne feceris. Vid. quoque Quint. inst. or. I. 5, 50.

Paronomasiae: Conversari et versari M 1, 1. potentia et patientia M 35, 5 et I. Sar. Pol. III. 14, 23. animo et amico, invidia et insidiae, libet et licet pag. 73 princ.

Praesumere Mon. 1, 14. 22, 1, ubi aut sententia obscura aut codicis scriptura corrupta est. Praef. 1.

Tessellare M 17, 1 addendum lexicis.

Haec omnia, quae modo observata sunt, potius circa dictionem Caecilii versari, quam in ea ipsa adumbranda atque illustranda, ipse quidem probe sentio; sed cum plerique librarii nugarum libros religiose et ad verbum describere, aspernati flosculos tantum ex iis carpserint atque delibarint, unde disputationis nostrae fundamenta parum certa esse facile intelligitur, ego in paucis acquiescere tutissimum habui. Ac videtur mihi sane Burleii codex et iam ille, qui Monacensis Parisinorumque tamquam parens iudicandus est, licet mancus non fuerit omniaque Caeciliani operis capita omnesque sententias et apophthegmata continuerit, interpolatus tamen fuisse et a pristina sinceritate orationis Caecilianae degenerasse, ita ut vel illius praefationis fragmenti supra pag. 3 perscripti non omnia vere et probe Caeciliana esse censeam, cum praesertim nonnulla I. Saresberiensis stilum redolere videantur.

Posito igitur et concesso hunc praefationis locum non subditicium, sed genuinum esse, corrupta tantum latini sermonis integritate et interpolatoris manu depravata, primum de »imperatore Augusto« quaerendum erit, ad quem Caecilius omnem illam orationem convertit: quod ubi expediverimus, omnis quaestio, quae est de Caecilii aetate, iam profligata erit. Ego vero non invitus hanc quaestionem extremae libelli mei parti reservavi integramque adhuc distuli, quia et difficillima est explicatu, et si quae profecimus prioribus dissertationis nostrae capitibus, iis tamquam fundamentis niti debet, quod nobis relictum est disquisitionis. Sed vereor, an quidquam Caecilii dictione examinata a nobis

effectum sit, praeterquam quod fragmentorum Caecilianorum eam esse condicionem comprobavimus, miseram quidem ac fere desperatam, ut vix ad certum aliquod iudicium pervenias: maioris est momenti, quod, postquam pag. 43—45 Monacensem epitomam Parisinamque ex uno Caecilio fluxisse docuimus, Tiberium, Xystum, i. e. Sextum vel Sextium, Senecam, Vespasianum, (vid. pag. 50 med.) Titum a Caecilio commemoratos fuisse demonstratum sit, quibus addas, quae capite decimo de Publio Syro, Cicerone, Valerio Maximo, Seneca monuimus. Et de his quidem rebus statim eloqui non dubitabam, quae mens mihi suppetebat; quotiescumque vero de aetate Caecilii Balbi quaerebam, a me impetrare non potui, ut hanc illamve sententiam amplecterer; itaque factum est, ut, cum mihi non satis constarem et duas longeque diversas simul alerem sententias, in Caecilium, quem tandem e tenebris erupisse gaudebam, hoc officii conferendum ducerem, ut pro altera, qua Plinii, Taciti aequalis censendus est, firmiter pugnarem, alteram viris doctis non reticerem.

Quodsi approbationem virorum doctorum tulerunt, quae supra pag. 49—51 de Suetonio exposuimus, paucorum certe annorum spatium relictum est imperatori illo Augusto a Caecilio admonito, ne deum se credat neve adulatorum scelera inulta patiatur: misso enim Domitiano*), utpote diversae naturae imperatore, eligendus erit aut Nerva aut Traianus. Sed hic incredibile est dictu, quot veterum scriptorum suffragiis iuvetur, quamque mirifice illi in efferenda eius humanitate, civilitate, modestia uno quasi ore consentiant, ut plane eundem in illorum laudibus agnoscas, ad quem Caecilius librum suum misit. En ipsos testes producam.

Plin. Sec. Paneg. cap. 2, § 3: Discernatur orationibus nostris diversitas temporum, et ex ipso genere gratiarum agendarum intelligatur, cui, quando sint actae. Nusquam ut deo, nusquam ut numini blandiamur: non enim de tyranno, sed de cive; non de domino, sed de parente loquimur. Unum ille se ex nobis, et hoc magis excellit atque eminet, quod unum ex nobis putat, nec minus hominem se, quam hominibus praeesse meminit. Ibid. 52, 1: Horum unum si praestitisset alius, illi iam dudum radiatum caput, et media inter deos sedes auro staret, aut ebore augustioribusque aris, et grandioribus victimis invocaretur. Tu delubra non nisi adoraturus intras; tibi maximus honor excubare pro templis postibusque praetexi. Sic fit, ut dei summum inter homines fastigium servent, cum deorum ipse non adpetas. Itaque tuam statuam in vestibulo Iovis optimi maximi unam alteramve, et hanc aeream, cernimus etc. Aur. Victor de Caes. 13:

*) Suet. Domit. 13: Pari arrogantia cum procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam, sic coepit: *Dominus et Deus noster sic fieri iubet.* Unde institutum posthac, ut ne scripto quidem ac sermone cuiusquam appellaretur aliter. Aurel. Vict. de Caes. 11 de Domitiano: Maior libidinum flagitio, ac plus quam superbe utens patribus, quippe qui se dominum deumque dici coegerit, quod confestim ab insequentibus remotum, validius multo posthac deinceps retulere. Epit. de Caes. 11. Eutr. 7, 23 (15). Oros. 7, 10. In nummis quibusdam vocatur *θεοῦ υἱός*.

Aequus, clemens, patientissimus, atque in amicos perfidelis. Epit. de Caes. 13: Liberalis in amicos et tamquam vitae condicione par, societatibus perfrui. Ael. Spartianus Hadr. 6: Traiano divinos honores datis ad senatum et quidem accuratissimis litteris postulavit, et cunctis volentibus meruit, ita ut senatus multa, quae Hadrianus non postulaverat, in honorem Traiani sponte decerneret.

Unde certe vivo Traiano divinos honores non habitos esse apparet. Meri igitur honores sunt et per assentationem scripta, quae in Plinii Paneg. c. 11 legimus: »Dicavit caelo Tiberius Augustum, sed ut maiestatis crimen induceret; Claudium Nero, sed ut irrideret; Vespasianum Titus, Domitianus Titum, sed ille, ut dei filius, hic, ut frater videretur. Tu sideribus patrem (i. e. Nervam) intulisti, non ad metum civium, non in contumeliam numinum, non in honorem tuum, sed quia deum credis. Minus est hoc (i. e. minor est *ἀποθεώσεως* honor), cum fit ab his, qui et sese deos putant (intelligit Titum et Domitianum). Sed licet illum aris, pulvinaribus, flamine colas, non alio magis tamen deum et facis et probas, quam quod ipse talis es. In principe enim, qui electo successore fato concessit, una eadem quecertissima divinitatis fides bonus successor.» Quibus probatis sententia illa de Suetonio pag. 49—51 proposita optime stabit, quoniam hic vitas suas duobus vel tribus annis post Traiani mortem, i. e. anno fere centesimo vicesimo post Chr. n. conscripsit, qua de re confer Laurentium Lydum de magistr. 2, 6 et Osanni annot. crit. in Quintil. part. III. Giessae 1845 pag. 20.

Sunt tamen, quae suspicionem moveant, et in illo praesertim Ausonii loco Epigr. 8

EXHORTATIO AD MODESTIAM.

Fama est fictilibus cenasse Agathoclea regem,
  Atque abacum Samio saepe onerasse luto.
Fercula gemmatis cum poneret horrida vasis,
  Et misceret opes pauperiemque simul,
Quaerenti causam respondit: Rex ego qui sum
  Sicaniae, figulo sum genitore satus.
Fortunam reverenter habe, quicumque repente
  Dives ab exili progrediere domo.

collato cum Lind. 7 et I. Saresb. Pol. 5, 17 iure nostro haeremus. Quem nisi ab interpolatore quodam Caeciliano illi capiti *de temperantia* insertum esse concedis, nostra argumenta prorsus confutata esse vides. Quamvis enim nemo iam nesciat, Ausonium et multa a veteribus scriptoribus Graecisque praesertim duxisse, et centonem nuptialem ex Virgilii hemistichiis composuisse, vix tamen quisquam erit, qui eum illos versus parum elegantes ex Caecilii libro descripsisse censeat. Verum contra haec tria argumenta proferre licet, quae omnem fortasse dubitationem tollant: primum hoc, quod in Caecilii opere oratione pedestri conscripto nusquam conspiciantur poetarum versus; alterum, quod versiculis illis

in Lindenbrogiano codice praemissa sint verba *dixisse fertur**); tertium, quod Caecilium Ausonio usum esse aliis exemplis probari nequeat. Nam cum eum Cicerone, Valerio Maximo, Seneca certissime usum esse pluribus locis allatis comprobaverimus (pag. 68 med.), aliis Caecilius illos respexisse videatur, (cfr. ad Lind. 7 pag. 14 extr. et ad W. B. Socr. 6 pag. 59) ea Caecilii loca, quae pag. 58 enotavimus,

W. B. Biante 8: Interrogatus Bias, quid sit in hac vita optimum, ait: Mens sibi bonae rectitudinis conscia.
Aus. Biante: Quaenam summa boni? mens, quae sibi conscia recti.

W. B. Cleob. 2: Quanto plus licet, tanto libeat minus.
Aus. Cleob. Quanto plus liceat, tam libeat minus.

W. B. Pythag. 4: Loqui ignorat, qui tacere nescit.
Aus. Pittaco: Loqui ignorabit, cum (qui?) tacere nesciet.
Pseudosen. de mor. 132: Qui nescit tacere, nescit et loqui.
V. B. sp. d. 4, 92 ex prov. Sap. Tacere qui nescit, loqui nescit.
V. B. sp. m. 3, 1, 4: Hieronymus. Bene loqui nescit, qui tacere non novit etc. coll. Pseudoseneca de mor. 2 et 9.

haud facile ex ipso Ausonio fluxisse mihi persuaserim. Denique scrupulum mihi iniicit Suetonius ille pag. 49 et 51 furti leviter accusatus, quem tamen plerumque auctores suos laudare satis notum est. Quidnam igitur causae suberat, cur quattuor illis locis pag. 49 et 50 adscriptis — nam Policr. lib. III. cap. 14 § 17. 22. 25. 32—34. 36. 37 seqq. ex ipso Suetonio descripta esse arbitror — Caecilium non nominaret? An fortasse, quod sibi aequalis fuit?

Verum hoc alii videant. Videant ii, utrum Caecilio plenior Suetonii codex ad manus fuerit (!) an I. Saresberiensis paragraphos illas ex Suetonii et Caecilii locis consuisse iudicandus sit; videant, quis sit Hermogenes ille Par. § 7; videant, quibus terminis Caecilii aetatem includant. Quam quaestionem si viri docti dignam censuerint, quae accuratius examinetur, nos certe numquam poenitebit, quod Caecilium a mortuis excitaverimus.

---

*) Conf. tamen Lind. 17: *Legitur* de Diogene etc.

Indices.

I. Index capitum.

II. Index Caecilianus.

Praef. = Praefatio Caecilii Balbi pag. 3.
H = codex Hamburgensis pag. 5 et 6.
S = I. Saresber. Policr. III. 14 pag. 7—12.
L = codex Lindenbrogii pag. 13—16.
M vel Mon. = codex Monacensis pag. 18—35.
P = codices Parisini pag. 37—43.
V. B. = Vincentius Bellovacensis pag. 51—55.
W. B. = Walterus Burleius de vita et moribus philosophorum pag. 55—65.

III. Index Auctorum.

Addenda et Corrigenda.

Pag. 2 princ. ad verba *‚Malui tamen, nunc saltem etc.'* Res iam erit non multi laboris subsidiis nostris instructo singula Caecilii fragmenta pristino ordine disponere nugarumque libros, quos ad similitudinem codicis Monacensis descriptos fuisse pag. 77 docuimus, in integrum restituere, quatenus per codices adhuc in lucem editos fieri licet. Et poteramus quidem ad comprobandam nostram sententiam ipsum codicem Lindenbrogii in partes nostras trahere, in quo apophthegmata de maledicentibus continua leguntur;

Lind.	14.	—	—	15.	16.	17.
I. Sar. Pol. III. 14,	5.	6.	6^{a}.	7.	8.	9.
Mon.	35, 1.	35, 2.	35, 3.	35, 5.	35, 7.	45.

provocare licebat ad Vinc. Bellov. spec. mor. III. 1, 4, ubi haec Caecilii loca sese excipiunt: Mon. 26, 1. 4. 5. 27, 6; poterant alia argumenta proferri, nisi in re tam certa uberius disserendo operam perdidisse mihi visus essem. Nec minus exploratum esse spero, quod pag. 36 de epitoma Monacensi extrema disputavimus; immo eo subtilitatis et religionis nobis progredi licere arbitror, ut epitomatorem inde a capite 45 codicem Caecilii, ex quo sua descripsit, revolvisse contendamus. Cuius rei rationem ne altius repetamus, attendamus modo animum ad Mon. cap. 35 loca collata cum Lind. et I. Sar. Policr. unde Diogenis apophthegma illud (Mon. 45) in capite, quod est *de maledicentibus*, i. e. capite 35 locum habuisse facile intelligitur. Quoniam vero Agathoclis dictum illud *de temperantia* (M 43) ad quartum librum pertinet, (Lind. 7 et pag. 77 s. fin.) primum efficitur, Caecilii opus quattuor libris absolutum fuisse, deinde, quartum librum incipere inde a cap. 36 Mon. *de danda mercede*, et reliqua sic fere esse distribuenda, ut libro primo capp. 1—12, alteri capp. 13—23, tertio capp. 24—35 assignentur.

Quibus expositis unus tantum nobis restat scrupulus. Quid enim faciamus brevibus illis et varii argumenti sententiis, Socrateis plerumque, quae leguntur Mon. I, 2—11. 13—18. 20—31? Nec tamen temere huius rei culpa in epitomatorem Monacensem transferenda est, propterea quod et Parisini et W. Burleii codex Monacensi adstipulari videntur. (Cfr. pag. 44 s. fin. et 59 med. paulo ante § 11.) Esto igitur: iam in codice archetypo, quem vulgo dicunt, illae sententiae sese exceperint; quid tandem dicamus de capitis illius titulo? Num fortasse inscriptum fuisse statuamus *de vita bene instituenda* vel *vitae praecepta?* Ego quidem nihil comperti affirmare ausim, ideoque in medio relinquatur, quidquid huc facit, donec sagacioribus criticis omnem dubitationem tollere contigerit.

Pag. 8. Ad S § 14 et 15 adde: Descripta sunt haec ex Front. strat. IV. 7, 4. 5.

„ 9. „ § 30 adde: Cfr. Macr. Sat. 2, 4, 20.

Pag. 10. Ad § 36 adde: Cfr. Suet. Tib. 28.
„ 14. „ Lind. 9. Corrige: S 3, 14, 24.
„ 19. „ Mon. I, 15. „ (223 Zell).
„ — „ M I, 20 adde: P Syr. 508 Or. 585 Zell.
„ 20. „ M I, 26 „ Cfr. Par. 77.
„ — „ M I, 31 „ P. Syr. 698 Or. 809 Zell.
„ 21. „ M V, 1 „ P. Syr. 204 Or. 231 Zell.
„ — „ M VII, 3. 4 „ P Syr. 340 et 659 Or. 380 et 798 Zell.
„ 23. „ M XII, 8 „ P. Syr. 184 Or. 208 Zell.
„ — extr. Corr. in adnot. XIII, 2 pro XIII, 2. 3 et XIII, 3 pro XIII, 4.
„ 24. Ad M XV, 2. Corrige: W. B. Bias: Amicos etc.
„ 26. „ M XVII, 3. „ W. B. Socr. Animo etc. Adde: P. Syr. 46 Or. 47 Zell.
„ — M XVII. b. bene meriti. Fort. scrib. *bene eruditi* vel *bene morati.*
„ 27. Ad M XXII, 3 adde: = Par. 79.
„ — „ M XXIII, 3. Corrige: Par. 78.
„ 28. „ M XXVI, 1 adde: P. Syr. 860 Or. 1010 Zell.
„ 31. „ M XXXV, 1 „ = Lind. 14.
„ 33. „ M XLIV „ = I. Sar. Pol. III. 14, 12.
„ — „ M XLV „ = Lind. 17. I. Sar. Pol. III. 14, 9.
„ 34. „ M XLVIII, 9. Corrige: Par. 16 pro Par. 17.
„ 37 med. Corrige: Cod. Paris. lat. 5718.
„ 40. Ad Par. 29 adde: P. Syr. 834 Or. pag. 37, 40 Zell.
„ 52 princ. Corrige: anno 1227.
„ 54 extr. adde: V. Bell. sp. m. III 1, 4 = Mon. XXVI, 1. 4. 5. XXVII, 6.

TYPIS OFFICINAE SCHWEIGHAUSERIANAE.